



G.R.  
e


5  
7

EMC  
13.d.10

THIS BOOK BELONGS TO  
~~DUPLICATE SOLD BY OR~~  
~~DER OF THE CHAPTER OF~~  
~~THE COLLEGE OF ARMS,~~  
COLLEGE OF ARMS, LONDON.



LIBRARY  
OF THE  
UNIVERSITY  
OF ILLINOIS



EMBLEMATA  
ANNIVERSARIA  
ACADEMIE  
ALTORFINÆ  
STVDIORVM IVVENTVTIS  
EXERCITANDORVM CAUSA  
PROPOSITA. ET VARIORVM  
ORATIONIBVS EXPOSITA.

1597.  
NORIMBERGÆ.

IMPENSIS LEVINI HVLSY.

COLLEGE  
of  
ARMS.

THE  
LIBRARY  
OF THE  
MUSEUM OF  
COMPARATIVE ZOOLOGY  
AND ANATOMY  
HARVARD UNIVERSITY  
CAMBRIDGE, MASSACHUSETTS



RECTOR ACADEMIAE ALTORFINAE  
LECTORI BENEVOLO  
S.



*T maximorum fluviorum parva admodum & contempta sunt capita & fontes: ita scientiarum quoq, omniumq, adeo studiorum nostrorum, incredibile est, quam exilia & neglecta sint prima principia. Verum in illis quidem affluxu rivorum, multorumq, fluviorum, augmenta tandem expectare licet: in his vero, certi tantum ordinis, & institutionis ratio, incrementa & exoptatam ubertatem, promittere potest. Est autem omnis recte institutionis laus in eo praeipue sita, ut, postquam domi bonis moribus, tanquam usui dextra manus, assuefacti sumus, & ut ait Plato, didicimus recte gaudere & odisse, cacus adhuc animus nos er, & ad rerum perspicentiam nunc primum exurgens, pedetentim à facilioribus &*

dulcioribus, ad graviora & austeriora, deducatur. Quemadmodum enim oculus è tenebris, non potest subito clarissimam aspicere lucem, sed gradatim umbris quibusdam utens, ad solis radios, tuto progreditur: ita animus quoque humanus (divinam illustrationem semper excipio) à summâ ignorantia & caca caligine, ad opiniones primum, & dubitationes, inde sensum, & latentè, ad veritatis clarum intuitum provehitur. Quod nam autem tenue illud, & non insuave institutionis initium sit, si animum advertere velimus, natura ipsa, tacito quodam voluptatis sensu, satis nobis com-  
monstrat: Videmus enim ipsi, & clarè idem etià docet, gravis in primis auctor, Dionysius Halicarnassensis, postquã animi nostri sensa proloqui possumus, vehementè nos verborum ornatu & frequentia, omniq; orationis comenda ac poliende artificio, duci & delectari, immò in hoc studio impetu quodam animi, mirificè lascivire & deliciari. Et sanè lingua ista cura, quas itaq; lenocinia apparent his annis, in  
sum-

summorum etiam virorum scriptis, si qua forte, vernante adhuc aetate, ediderunt: ita ut facile perspici possit, majorem tunc, aut certe non minorem, illis verborum fuisse curam, quam rerum. Neque mirum: ut enim nobis canescentibus, unà quoque canescit oratio: ita florentibus, floret. Cum igitur primis studiorum annis, ab ipsa natura commendetur eloquendi facultas, quid nō in ea excolenda, primos quoque labores, voluptate praesertim conditos, impendamus? Verum, quia exercitatio ista non potest suscipi, nisi res etiam aliqua ei sint subjecta (graviorum autem rerum summa adhuc imperitia est.) observarunt etiam illud sapientissimi homines, fabularum tractatione, maximè aetatem ineuntem, capi. Alexander enim Aphrodisiensis, qui solus dignitatem philosophia Aristotelica olim sustinuit, eos pueros ceteris omnibus anteposuit, qui fabulis delectabantur: quòd ea admirabilibus consistet: in admiratione autem insit discendi quadam cupiditas.

Atqui eadem haec Alexan-

dre aratio, convenit in Emblematicū etiā usum. Ut enim fabulis, sic etiam Emblematicis, rudis adhuc animus, ab rebus evidentibus, sive in natura expressis, sive ab arte factis, ad salubria vitæ instituta, non sine insigni voluptate, traducitur. Hæc igitur prima illa exercitatio est, in qua adolescentia, nostro quidem iudicio, omni studio est continenda: quæ ubi jam satis eam perpoliit, jam ad rationes aliquas probabiles videndas, & ad argumentandū, mentis oculi attolli solent. Quamobrem aliud nunc laboris genus subeundum, & orationibus in partes contrarias, in ventrix humani animi vis excitanda & exacuenda est. Rhetorica enim & Topicæ rationes, quæ persuadentes à Seneca vocantur, & splendidibus vitris sunt similes, quia exotericae sunt, & popularem intelligentiam vix superant, non ita difficilem nunc habebunt inventionem: cum præsertim ad eliciendum, quid in quaq; re verisimile videri possit, certis præceptis & locis, à philosophis quoq; adjuvemur. Atq; hanc quidem exercita-

citationis consuetudinem, Aristoteles etiam, ut  
auctor est Cicero, vehementer comprobavit.  
Adolescentes enim in thesi, non ad philosopho-  
rum morem tenuiter differendi, sed ad copiam  
rhetorum, in utramq<sup>3</sup> partem exercuit: quod  
Strabo vocavit  $\theta\acute{\epsilon}\sigma\iota\varsigma$   $\lambda\eta\kappa\upsilon\theta\acute{\iota}\xi\epsilon\iota\varsigma$ . Et habent om-  
ninò hujusmodi ancipites disputationes, in  
quibus de universo genere utring<sup>3</sup> copiosè disse-  
ratur, suum quoq<sup>3</sup> naturale voluptatis condi-  
mentum. In hoc igitur altero exercitationis  
stadio, postquam jam quoq<sup>3</sup> quantum est satis,  
desudatum erit, tum demum maturitas esse in-  
cipit, ad eam rerum doctrinam animum trans-  
ferendi, qua rationibus cogentibus & adamã-  
tinis, ac principiis artis cujusq<sup>3</sup> propriis, inniti-  
tur. Hæc vero magna quadam studiorum  
mutatio & conversio jam est. In prioribus e-  
nim tantum rhetoricamur: in hac, sua quisq<sup>3</sup>  
in arte, philosophamur: in illis prima ferè ver-  
borum, secunda rerum cura est: in hac contrà,  
prima rerum, posterior est verborum: in illis  
suavitas quadam dulcis est atq<sup>3</sup> decocta: in  
hac




hac, austera illa & solida. Itaq; etiam atq;  
etiam videndum, ne immaturum adhuc ani-  
mum, & erudiora studia, ad principes illas &  
graviore arte, ipsamq; earum omnium ma-  
trem philosophiam, temerè propellamus. A  
qua quidem praepropera festinatione (certissi-  
mo multorum adolescentum naufragio) clara  
voce olim juventutem revocavit Arcesilaus,  
inclamans, Non esse vellus portandum ad fullo-  
nem. Revocare etiam nos potest, egregia illa  
animi & corporis comparatio, quae est apud  
Themistium. Simile quid, inquit, animo acci-  
dit, quod corpori. Nam parvuli primò sic ja-  
cent, ut neq; flectere se, neq; ingredi valeat. De-  
inde ut quadrupedes reptant. Tum erigunt  
se & incedunt ut bipedes, nec indigent comite  
qui manum prebeat. Adeò vero promovent  
processu, ut jam & ad cursum vegeti, & ad om-  
nes usus corporis firmi robustiq; sint: Eodem  
modo animus primùm res tantùm nominare  
potest, & intelligere qua nominat. Tum com-  
ponere & meditari. Postremò universalia  
qua-

quadam iudicia & notiones scrutatur, quas simulatq<sub>2</sub> elicit, in seipso deponit atq<sub>2</sub> consignat. Hac autem omnia eò pertinent, primùm quidem, ut qui apud nos, istam quam ostendimus, studiorum viam ingressi sunt, latentur rectam se esse ingressos, laudatam ab laudatissimis viris, & ab ipsa natura, certa voluptate commendatam: deinde, ut absentibus etiam Academia nostra instituta comprobemus. Triplicem enim illam quam diximus, exercitationem, perpetuò apud nos urgeri volumus: & offerimus ex primo genere nunc classica adolescentum nostrorum progymnasmata, quorum partem aliquam superioribus annis publicè quoq<sub>2</sub> spectandam proposuimus. Exercitationes enim Aristoteleæ pro thesi & contra thesin ἡτοιχῶσ differendi, quas secundo loco supra laudavimus, itemq<sub>2</sub> disputationes de artibus didascalica, quæ tertiam laboris Academici partem occupant, ad publicos jam professores propriè pertinent: & certum est nobis, summo

) ( quo-


quoque studio ibi laborari, ut officij cuiusque ratio  
consuet, ne quid vel negligenter omittatur, vel  
perturbatè & sine ordine, committatur. Tu  
voluntatem nostram optimam, faustis  
acclamationibus pro-  
sequere.





*Eidem Lectori.*

**C**onstitueramus quidem, his Emblematicis ac Symbolicis  
-xplicationibus conjungere doctissimas Orationes quas-  
dam in principio, ac progressu hujus Academiae instituta,  
ab anno Christi 1577 usque ad annum 1581. Rectore Clariss.  
viro D. Thoma Fregio P. M. habitas: sed cum illa alio consilio,  
ac, ut plurimum argumento diverso fuerint composita, ac recita-  
ta, ac praeterea jam pridem typis elegantibus in hac urbe impres-  
sa, supervacaneum esse putavimus, eas rursus huc transferre,  
cum praesertim hoc modo noster liber facile in nimiam molem  
excrescere potuisset. Quod si forte eam editionem aliqui non-  
dum viderint, ad eam quae ex officina Gerlaciana typographica  
prodit, candidum lectorem remittimus. Vale.









veor & mandato preceptorum meorum, quibus reverenter  
adolescentes decet obedire, & insigni humanitate auditorum  
omnium ordinum, Comitum, Baronum, nobilium, hospitem,  
professorum & studiosorum adolescentum, ut tanto facilius  
sim passus mihi has dicendi partes imponi. Quare veniam me  
facile consecuturum spero: & ne longiori Exordio vobis sim  
molestus, è vestigio conferam me ad explicationem symboli quod  
in pulcherrimo numismate præmij loco ab Amplissimo Senatu  
Noribergensi & Dominis Scholarchis ijs datur scholasticis, qui  
ex suprema classe preceptorum judicio ad publicas auscultatio-  
nes promoventur. Insculptum est numismati nobis donato  
pulvinar, cum libro aperto & pugione. Quæ imago haud dubie  
sumpta est ex historia Alexandri Magni. Hic enim ad eò di-  
citur delectatus lectione Homeri, ut cum cubitum se conferret,  
ejus poema cum pugione suo cervicali subjiceret, ut cum exper-  
gisceretur (somnia autem parcissimus fuit) semper ad manus  
haberet præstantissimum autorem, cujus etiam nocturna lectio-  
ne multarum virtutum præcepta & exempla cognosceret. Im-  
ginis insculptæ usum indicat hac sententia addita: Virtutem  
doctrina parit. Quo symbolo prudentissimus & amplissimus  
Senatus Noribergensis sapienter nostrum ordinem scholasti-  
cum monere voluit, ut cogitaret excellentem virtutem sine a-  
serrimo literarum studio & eximia eruditione comparari non  
posse. Quod verissimum esse, & ipsa ratio docet, & autoritas  
cum divina tum humana comprobat, & exempla quàm pluri-  
morum laudatissimorum principum testantur. Ad ipsam  
enim rationem quod attinet, quis non videt tantum differre  
hominem doctum ab indocto, quantum differt dies à nocte,  
lux à tenebris, visus à cecitate? Mentis enim est per do-  
ctrina lucem monstrare voluntati ea, quæ sunt expetenda &  
fugienda

fugienda: Voluntas est, per virtutem ea facere, quae praecipit mens, & fugere quae eadem prohibet. Recte enim Poëta inquit: Quod latet ignotum est: Ignoti nulla cupido. Quae de re plura non dicam. Amor enim virtutum, & odium vitiorum in voluntate non possunt existere sine intellectu virtutum & vitiorum in mente. Hoc enim prorsus esset contra humanae naturae conditionem. Idem ostendis divina auctoritas. DEVS enim Deuter 17. capite per Moysen sic inquit: Describet sibi repetitionē huius legis Rex in libro, ut sit cum eo, & legat in eo cunctis diebus vitae, suo quo discat timere Dominum DEVM suum, & observare cuncta verba legis. Postea Iosue cap. 1. ad Iosueam dicit Dominus: Non recedet ab ore tuo liber legis huius, sed in eo die ac nocte meditaberis, ut custodias & facias secundum omnia quae in eo sunt scripta. Divina igitur auctoritas testatur, actiones cum omnium hominum, tum maxime principum certis notitijs & praeceptis regendas esse. Ideo & Sapientia apud Salomonem in proverbys. 8. cap. inquit: Per me Reges regnant & iudices iusta dacerunt. Quod si quis hac de re humanae etiam auctoritatis testimonium requirat, is hoc Platonis testimonio sit contentus, qui dicit: Eas demum Respublicas fore beatas, in quibus aut Reges philosopharentur aut Philosophi regnarent. In quo dicto Plato sapientissimè vult cum potentia conjungi sapientiam. Rectè enim apud Gracos dicitur: Τὸ ἰσχυρὸν ἀνοήτων, καὶ τὸ ἐμψυχὸν ἀδύνατον. Id est: Robur expertum est intelligentiae, intelligentia potentia. Sed quanta doctrina & disciplina vis sit, in natura vel malis corrigendis vel bonis augendis, id maxime in exemplis doctissimorum principum cernere licet. Historia enim ostendunt eos reges, principes & gubernatores, qui literarum studia coluerunt, indoctis principibus virtutis laude longè antecelluisse. Quanta enim virtus fuit in Davide

Rege Israëlitarum, propter acerrimum sacrarum literarum studium? Idem Rex, si statuisset doctrinam, piam assuefactionem & disciplinam nihil prodesse ad comparandam virtutem, non tradidisset summo & eruditissimo Propheta Nathan in disciplinam suum filium Salomonem. Cyrus primus Persarum Monarcha, & optima disciplina Persica ad virtutem institutus fuit, & à sapientissimo Propheta Daniele veram de DEO doctrinam didicit, Alexander Magnus, qui Persarum Monarchiam ad Græcos transtulit, in omnibus Philosophiæ partibus à summo Philosopho Aristotele eruditus fuit. In Romana Monarchia, quanta eruditione præditus fuerit Iulius Cæsar, id ejus ostendunt commentarij sapientissimè scripti. De quibus audite, si placet, judicium Ciceronis. Commentarios quosdam scripsit rerum suarum valdè quidem inquam probandos, nudi enim sunt, recti & venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calami stric inurere; sanos quidem homines à scribendo deterruit. De eodem scribitur, quod cum Pompeio interfecto, Alexandriam venisset, more scholasticè in turba lectiones doctorum virorum audiaverit. Augustus Cæsar & literarum & literatorum hominum maximus fuit fautor. De M. Antonino Philosopho Romanorum Imperatore expresse scribit Dion, multum eum doctrina adjutum fuisse ad exercendam virtutem, cum inquit:

Αγαθὸς δ' ἦν, καὶ ὄντι προσπ' οἴη τον εἶχεν: ἀμφο' μάδ' καὶ ὑ' πο' παυδ' εἰ' αὖς ὠφελ' ἦθη.

Hic etiam cum esset Imperator, egressus annum quinquagesimum accessit ad auditoria Philosophorum. Constantinus Magnus tanta eruditione fuit præditus, ut ipse potuerit regere Synodum Nicenam, & in ea de summis articulis fidei inter alios

Episcopus

3

Episcopos & eruditissimos viros sententias dicere. Theodosius secundus sua manu descripsit libros novi testamenti & in eis quotidie aliquid legit. cui mos dicitur fuisse mane preces dicere & Psalmos canere cum conjuge & sororibus. Sed ut de alijs principibus doctis, quos alia regna habuerunt, nihil dicam: An non inter Imperatores Germanicos hi clarissimi sunt, qui studia literarum coluerunt, & scholas publicas fundarunt? Quales sunt Carolus Magnus Græcarum & Latinarum literarum peritissimus, qui & Imperij Romani ad Germanos transtulit: Fridericus Secundus, earundem linguarum & aliarum maximè callens, Mathematicorum, Physicorum & Medicorum studiorum instaurator felicissimus, & dignissimus qui summis heroibus annumetur, qui excellentem in omni genere doctrinarum eruditionem cum virtute & gloria bellica conjunxerunt: Maximilianus, Carolus, Quintus Ferdinandus, & Maximilianus secundus, qui Imperatores omnes & ipsi excellenti bonarum artium cognitione exsultati fuerunt, & viros doctos in magno precio habuerunt: Quidam etiam libros scripserunt: Ut Maximilianus primus, cujus sylvam experientiarum non vulgarium citat alicubi Iac: Spiegelius: Ut Fridericus secundus, cujus extat liber de arte venandi cum avibus, cui præscripta ab ipso verba sunt memorabilia, & vobis ut spero non ingrata futura si etiam hîc à me recitentur: Nos profecto, qui divina largitione populis præsidemus, generali, qua omnes homines naturaliter scire desiderant, & specie aliqua gaudent aliqui utilitate proficere, ante suscepta regiminis nostri onera semper à juventute nostra quasvimus scientiam, formam ejus indesinenter amavimus, & in odore unguentorum suorum semper aspiravimus indefesse. Post regni v. nostri curas assumtas, quamquã operosa frequenter negotiorum turba



nos distrahat, & civilis sibi ratio vendicet sollicitudinis nostrae  
 partes, quidquid tamen temporis de rerum familiarium occu-  
 patione decerpimus, transire non patimur otiosum, sed totum  
 in lectionis exercitatione gratuitè libenter expendimus, ut ani-  
 ma clarius vigeat instrumentum in acquisitione scientiae, sine  
 qua moralium vita non regitur liberaliter. Satis ne magnum  
 hoc vobis, Auditores optimi, videatur cognitionis & scientiae  
 studium in Imperatore? Sed brevisitas temporis jam obstat, ut  
 ne nominare quidem mihi liceat principes eos, qui in historijs  
 clari sunt propterea, quod cum belli pacisq; artibus solidae eru-  
 ditionis laudem conjunxerunt: Qui certè in cognoscendis  
 bonis artibus nihil temporis, nihil operae, nihil studij posuissent,  
 si earum cognitionem ad virtutem & gloriam comparandam  
 nihil prodesse censuissent. Sed sicut ante dixi, & ipsam naturae  
 humanae conditionem & auctoritatem cum divinam, tum hu-  
 manam, & exempla doctissimorum principum omnium tempo-  
 rum diligenter consideraverimus, reperiemus verissimum esse  
 hoc symbolum: Virtutem doctrina parit. Quare hanc sapien-  
 tem commonefactionem in pulcherrimo argenteo numismate  
 nobis propositam grato animo amplectamur, eamq; ipso opere  
 implere annitamur. Quo nihil gratius erit, Amplissimo &  
 Prudentissimo Senatui Noribergensi, qui nullis sumptibus parcat,  
 ut nos adolescentes ad studium literarum & virtutis excitet.

D I X I.

ORA-

4

ORATIO SECUNDÆ CLASSIS,  
RECITATA à GENEROSO DOMINO  
BARONE GEORGIO ERASMO  
à Tschernembl Austriaco.



**G**um Junioribus apud sapientes, graves  
& eruditos viros, quales jam hic Conventus multos  
habet, facienda sunt verba, nihil eos magis decere  
arbitror quam brevitatem orationis. Quare & ego cum à  
praeceptoribus in hoc eruditissimorum virorum consessu aliquid  
dicere jubear, odiosam sermonis prolixitatem fugiens, statim  
me cōvertam ad qualemcung, explicationem pulcherrimi sym-  
boli, quod ab Amplissimo Senatu Noribergensi in argenteo nu-  
mismate nobis adolescentibus proponitur, qui ex secunda classe  
in primam promovemur. Imago igitur, qua in numismate  
nobis attributo insculpitur, hac est: Rhinoceros cornu, quod  
in naribus habet, exacuit & limas ad petram. Quod hoc a-  
nimal facere dicitur, cum pugnam inisurum est cum Elephan-  
te, cujus alvum, quare scit se acuto cornu penetrare posse,

pugnans precipue petit, & in hac corporis parte Elephantem vulneratum occidit. Quod si Rhinoceros in pugnando ab alio Elephantis aberrat, ejus proboscide feritur, & dentibus dilaniatur. Anno Christi 1515. Albertus Dürerus Noribergensis pictor nobilissimus Regi Lusitaniae Emanueli pictura elegantissima expressit vivum Rhinocerotem, quem Rex è Cambaria India regione acceperat. Ex illa Dureri pictura suspicor desumptam imaginem Rhinocerotis, qua in nostro numismate conspicitur. Idem Lusitaniae Rex, ut horum animalium discordia & pugnam experiretur, ea aliquando inter se commisit: sed Elephas conspectum Rhinocerotem dicitur fugisse. Unde colligitur Rhinocerotem animal esse animosum, & quamquam minus est Elephantem, tamen fiducia sui cornu cum eo audere congruere, & sepe victorem Elephantis existere. Atq; hac breviter sine nobis dicta de imagine Rhinocerotis, qui se non temere committit pugna cum robustissimo & fortissimo hoste in eunda, se ad futurum certamen exacuendo cornu ad saxum diligenter preparat, ut victoriâ potiatur. In numismate imagini Rhinocerotis suum cornu ad petram acuentis addita sunt haec verba, ex Catulli carmine desumpta: Amat victoria curam. Cujus symboli haud dubie hac est sententia: Nullam victoriam ab ullo hoste unquam reportari sine ingenti curâ, sine labore & sine aliquo periculo. Quae sententia multis exemplis praestantissimorum regum, principum & ducum ex historia desumptis illustrari posset, si temporis brevitatis eorum commemorationem admitteret. Quid enim? An recens tot praclaras victorias ab hoste bellicosissimo & ferocissimo Moschovia Stephanus Polonorum Rex sapientissimus, fortissimus & felicissimus, sine immensa cura, assiduo labore & maximo periculo reportare potuisset? Cui Regi secundum DEVM immor-

sales

tales gratia debentur, quod multas Ecclesias Christi in Livonia & vicinis locis à tyrannide Moschovitica liberavit. Sed pratermissis bellicis victoriis paucis attingamus scholasticam militiam. Nobis enim scholasticis de nostra militia inclytus Noribergensis Reip. Senatus in hoc symbolo commonefactionem proponere voluit. Habet noster ordo hostes non paucos, qui nobis obstant, quo minus ad bonorum artium cognitionem & virtutis possessionem perveniamus. Quorum è numero hi quoq; sunt, quos Hermolaus Barbarus Venetus, vir de studijs literarum optimè meritus, in hoc versu nominat:

Venter, pluma, venus laudem fugienda sequenti.

Eosdem & Pithagoras in aureo suo carmine nominat, cum inquit.

Κρατῆν δ' εἰθίζεο τῶνδ' εἰ γαστρος μὲν πρῶτισα,  
καὶ ὕπνῳ, λαγυείης τε.

Qui igitur in castris Musarum versantur, ante omnia studeant temperantiae & sobrietati, ne à ventre, gula & crapula turpiter vincantur, ut Sardanapalus & Bonosus Imperator victi sunt. Verus enim est hic senarius: πᾶχῆα γαστήρ, λεπτόν δ' ὑπτερονόν. Deinde Musarum tirones odisse debent nimium somnum, alterum illum sui ordinis hostem, ne ejus miserrima fiant mancipia. Cogitent exempla: Demosthenis primum, qui antelucanas operas fabrorum solitus est antevertere. Et item Alexandri Magni, qui minorem partem noctis somno, majorem vigilijs & meditationibus, tribuere consuevit. Iulianus quoq; Imperator, aliàs malus & impius, noctes dispartitus fuit in triplicia officia: Quietis, Reipublica & Musarum. Quare & Plinius rectè nobis vigiliam commendat, cum inquit: Vigilia in ijs, in quibus animus inquiet, opere pascitur. Et idem Plinius in prasatione historiae suae natura-

lis ad Imp. Vespasianum exclamat: Profecto vita vigilia est. Ut significet, quantum quisq; temporis somno tribuat, tantum vita sua detrahere. Verissimè certè, nam & Plato ait in 7. de legibus eum qui nimio somno deditus sit, nullius pretij hominem esse, nec plus valere mortuo: quod somnus & corpori & animo nostro & utriusq; functionibus impedimentum adferat. Nec aliter Aristoteles: qui potius vigiliis quam somnum vita causam esse pronunciat. Τοῦ ἐγρηγορέναι, inquit, τὸ ζῆν αἰτίον ἐστίν, ἢ τὸ καθεύδειν. Ex quibus mihi videtur Ovidius suos hosce versiculos expressisse, qui in omnium ore sunt:

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?  
Longa quiscendi tempora fata dabunt.

Tertius scholastici ordinis hostis est fœdus amor prohibita veneris, DEV M & homines gravissimè offendens. De quo hoste extant versiculi Bacchylidis veteris Poetæ Græci, quos Philipus Melancthon latinè sic reddidit.

Vt cum destatua facies formosa remota est,  
Non decus in toto corpore truncus habet:  
Sic reliqui mores spreti sine honore iacebunt,  
Ni sint ornati laude pudicitia;

Pretonius Arbiter quoq; de eo sic inquit:

Fœda est in coitu & brevis voluptas:  
Et tædet Veneris statim peracta.

Hi tres quos dixi hostes primum vincendi sunt tironibus Musarum, & postea in alios multos domesticos hostes fortiter impetus faciendus est, ut feliciter superentur, expellenda multiplices tenebræ è nostris mentibus, ejicienda ex voluntatibus innumerabilia vitia, domandi multi pravi affectus in cordibus nostris



*nostris, ambitionis, superbia, emulationis, invidia, avaritia.*  
*Rectè Prosper inquit:*

Nunquam bella bonis, nunquam certamina defunt,  
Et quo cum certet mens pia semper habet.

*De his tot & tantis hostibus sine cura, sine diligentia, sine labore, ut symbolum nobis datum nos monet, noster ordo nullas obtinebit victorias. Preparemus igitur nos magna cum cura ad omnis generis certamina, ut necessaria eruditione, & mediocri dicendi facultate instructi, cum acerrimis adversarijs veritatis, legum & honestarum artium aliquando feliciter & gloriosè pugnare, & per tales victorias Ecclesia Christi ac Reip. magno usui esse possimus.*

D I X I.



B,

ORA-

ORATIO TERTIÆ  
 CLASSIS, RECITATA à VWIL-  
 HELMO THEODORICO  
 Marschalek ab Ebnet.



**Q**uædam Germania civitas ad Ca-  
 rolum Quintum Imperatorem legatum miserat,  
 adjuncto comite adolescente pulcherrimo, primarij  
 ejus civitatis viri filio. Cumq; legatus Imperatori  
 sua Reipub. negotium exposuisset, interrogat eum Imperator de  
 comite adolescente, cujas esset & cujus filius? Respondit lega-  
 tus, esse eum cujusdam primarij in sua Rep viri filium, & unà  
 secum missum, ut quædam digna memoria & videret & audi-  
 ret. Imperator igitur hoc audiens, adolescentem colloquio  
 dignatur, eumq; de quibusdam rebus interrogat, quas ingenu-  
 um adolescentem scire oportet, ut domum is reversus gloriari  
 possit, se cum Imperatore esse collocutum. Sed cum adolescens  
 pisce magis mutus esset, nec Imperatori ad interrogatoria quic-  
 quam respondere possit: Imperator legato, Inus, inquit, comes  
 pulchre.

7  
pulchra est statua, significans pulchritudinem corporis & nobilitatem generis sine doctrina & virtute parum prodesse hominibus. Hujus dicti Caroli Quinti Imperatoris mihi venit in mentem, cum considero in numismate hoc symbolum: Nobilitatis virtus non stemma character. De quo symbolo, omisso longiori Exordio pauca dicam.

Numisma, quod premij loco munificentia inclyti Senatus Noribergensis tribuit ijs scholasticis, qui ex tertia tribu in secundam evahuntur, harum rerum, ut videmus, habet imagines: Grandior aquila unguibus suis arreptum pullum tenet, eumq; rectè intueri cogit aduersum solem; cujus fulgentes radios si ferre oculus potest, agnoscit eum pro legitima prole & in nido retinet, atq; educat. Sin pra imbecillitate visus oculos à solis radijs avertit, pro spurio eundem habet, suaq; educatione indignum judicat, atq; è nido precipitat. Inter alius enim virtutes aquilarum etiam haec est, quòd visu maxime valeant, quodq; illis oculis sine lachrymis, non conniventes, & ut Graeci loquuntur, αὐτὰρ ἀμύμων, fulgorem radiorum solarium aspicere possint. Ex hac aquilarum natura & virtute haec similitudo ducitur: Vt pullo aquilino ad aquilinam nobilitatem probandam non satis est, ab aquilis generosis progeneratum esse, sed hoc etiam in eodem necessarium est, ut virtutem aquilis dignam habeat, sine qua à parentibus pro legitima sobole non agnosceretur: Ita in genere humano, si quis pro verè nobili haberi velit, ei non satis est jaetare nobilitatem generis majorum suorum, quod nobilitatis argumentum est leuissimum: sed maxime hoc necessarium est, ut majorum suorum eximiam virtutem referat ac possideat: sine qua ne suorum quidem parentum iudicio ullus verè nobilis est, nec pro nobili habendus. Quapropter imaginibus numismatis nostri hac inscriptio rectè  
B. 3. additur:

additur; Nobilitatis virtus, non stemma, character. Id est, magis virtus, quam genus nobilitatem efficit, vel potius sola virtus non majorum sanguis vera nobilitatis firmum est argumentum. Magnam sapientiam & utilitatem continet hoc symbolum. Primum eos quibus generis nobilitas contigit, qua εὐγενεῖα Græcis dicitur, sapienter monet, ut cum ea vera virtutis studium conjugant. Deinde eos, qui genere Ignobiles sunt, hortatur, ut per acerrimum sapientia ac virtutis studiū veram nobilitatem sibi comparent, quam Græci philosophi εἰσοχὴν vocant, qua tanto τῆν εὐγενεῖαν antistat, quanto propria virtus aliena virtute nobis utilior est. Tertio docet Ignobilitatem generis hominibus novis, qui nullis majorum imaginibus, sed virtute propria clari sunt facti, nihil obesse quominus & sint & habeantur verè nobiles. Postremo significat nobilitatem generis prorsus inutilem esse ὕς, nec quicquam prodesse, qui mali & improbi sunt, & à virtute majorum suorum turpiter degenerant. Imò hos Aristoteles 4. de ortu animal: cap. 3. non dubitat monstra appellare. De hac postrema parte extat elegans Epigramma, gravissimi Theologi GREGORII NAZIANZENI, in quo multis rationibus demonstrat, τὸς εὐγενεῖς δυσκότους, id est, nobiles malis moribus præditos frustra gloriari de nobilitate sui generis. E quibus tanti viri rationibus hic aliquas proferre operæ pretium est. Si, inquit, corpore admodum esses deformis, & tetra laborares graveolentiâ, ut tuum halitum oris nemo circumstantium ferre posset, & hæc tibi aliquis objiceret, an prodesset tibi dicere: patrem habui formosum, patrem habui benè olentem? Item, si tibi quis objiceret muliebrem timiditatem & mollitiem, an satis faceres convicianti, si diceres, Majores mei multas coronas Olympicas sua virtute obtinuerunt? Ita si te aliquis rudem  
& ma-

& malum hominem appellaverit, nihil te suavabit, si responde-  
 as, majores tuos & parentes viros sapientes & bonos fuisse.  
 Item, uter Musicorum est melior, illene qui inaurata cithara  
 optime canit? nimirum, qui vulgari cithara optime. Simi-  
 liter, ut laudi rosa nihil decedit, etiam si ea ex aspero fruice  
 nascitur, & ut spine vituperatio non minuitur, etiam si ea ex  
 tenera proveniat terra: Ita qui bonus est, licet obscuros ha-  
 beat aut malos parentes, tamen merito praefereendus est ei, qui  
 nobilissimum & optimum genus suum malis moribus dedeco-  
 rat. Hac & plurà alia GREGORIVS NAZIANZENSIS  
 in Epigrammate, in nobilem degenerem scripto, sapienter &  
 eruditè monet.

Quæ cum ita se habeant, & judicia sapientum virorum  
 magni nobis sint faciendæ, eaq. vera comprobent cum historia  
 tum quotidiana experientia, sapè multumq. ut nos ad virtutis  
 studium ex citemus, de hoc symbolo cogitemus: Nobilitatis  
 virtus, non stemma, character. Qui ex claris majoribus orti su-  
 mus, non confidamus eorum virtutibus & meritis, nec alios  
 pra nobis contemnamus, sed ipsi quoq. majorum nostrorum ex-  
 emplis sapientia, pietatis & virtutis studium colamus, & bene  
 de Repub. de Ecclesia DEI, de tota societate humana mereri  
 studeamus, memores versus Iuvenalis:

Tota licet veteres exornent undiq; ceræ  
 Atria nobilitas sola est atq; unica virtus.

Et versus Gregorij Nazianzeni, in dicto Epigrammate.

ΔΕΛΘ' ἐμοὶ πᾶς σκαλὸς ἐλευθέρως ὄσιν ἄξιός.

Qui vero ex parentibus Ignobilioribus minusq. laudatis  
 procreati sumus, aut patriam minus claram habemus, aut opibus  
 non ita magnis abundamus, aut corporis dotibus destituimur:  
 tamè propterea non desperemus, sed tanto magis studio literarum,



*pietatis & virtutis incumbamus, ut per hac media DEVS nos  
 pro sua immensa bonitate ita evehat, ut fiamus salutaria orga-  
 na Reipublicæ & Ecclesiæ DEI. Nam Psalmus 113. bonita-  
 tem DEI his verbis celebrat: Quis sicut Dominus DEVS  
 noster, qui in altis habitat? Humilia respicit in calo & ter-  
 ra, erigens è pulvere inopem, & de stercore erigens pauperem,  
 ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.  
 Quid quod etiam Ethnici obscuro loco natos, cum virtuti stu-  
 dent, præferunt ijs, qui sine propria virtute, stemmata majo-  
 rum suorum tantummodo jaçant? Ideo Iuvenalis Satyra 8.  
 sic inquit:*

Malo pater tibi sit Therfites, dummodo tu sis  
 Acacida similis, vulcaniaq; arma capeffas,  
 Quàm te Therfitæ similem producat Achilles.

*Et Ovidius: 13. Metamorph,*

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,  
 Vix ea nostro puto.

D I X I.



ORA-



# ORATIO QUARTAE

CLASSIS RECITATA à HIERO-  
NIMO HOLTSCVHERO.

Noriberg.



*Neo numismate, quo Amplissimus Noribergensis Senatus nos donat, qui ex infima classe ad proximè superiore[m] ascendimus, hac inscriptio legitur: Vivitur Ingenio. Quam inscriptionem legens, timidus ad dicendū accedo. Quid enim nos adolescentes, qui vix in hanc vitā ingressi sumus, de vita afferemus dignum auribus eruditissimorum virorum & juvenum, qui in hoc conventu conspiciuntur? Quid item praclarum de ingenio, re maximè abdita minimeq; in sensus incurrente diceremus nos pueri minimè ingeniosi, qui vix de rebus quotidianis, & ante oculos positis tria verba proloqui possumus? Ego vero pra alijs adolescentibus puerili etiam quadam timi-*

C

ditate

ditate impediatur, quo minus ea, quæ utcumq; didici, proferre queam. Auget hanc meam timiditatem & ingenij mei tenuitas, & imperitia rerum, quæ cum puerili ætate conjuncta est. Sed quia Magnifico Domino Rectori modeste obtemperandum est, qui me jubet specimen aliquod edere mei in studijs profectus, pauca in medium adducam de Symbolo, quod ab inclyto Senatu Noribergensi scholasticis nostri ordinis benignè attributum est. Videmus igitur nostrum hoc numisma in uno latere continere insculptum monumentum seu sepulchrum quoddam, cui species quedam hominis insistit, habens geminas in dorso alas & geminas in manibus tubas ori admotas. Imago sepulchri haud dubiè nos monet, omnibus aliquando moriendum esse, atq; idcirco omnem superbiam, arrogantiam & fastum mature deponendum, omnia humana & terrena, quamvis splendida, tamen, utpote morti obnoxia, contemnenda calcandaq; esse, sicut vulgares hi rythmi idem nos monent:

Cum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?

Tali namq; domo clauditur omnis homo.

Extat apud Græcos in libello Epigrammatum Distichon, quod de eadem re piè, & sacris literis convenienter nos commonefacit, quod tale est:

Γῆς ἐπέβην γυμνὸς γυμνόςθ' ὑπὸ γαῖαν ἀπειμι,

Καὶ πὶ μάτην μοχθῶ γυμνὸν ὄρων τὸ τέλος;

id est:

Nudus in hanc veni terram nudusq; redibo,

Quid crucier frustra? clausula nuda datur.

Species tamen quæ sepulchro insistit, monet, aliquid esse quod cum homine non moriatur, videlicet excellens ingenium, quod comprehendit eximiam doctrinam, singularem virtutem, & insignem gloriam, quæ omnia certa quadam ratione  
inter

inter se coherent ut causa & effectus, eademq; mortem effugi-  
unt. Ingenium enim parit doctrinam, doctrina virtutem, vir-  
tus gloriam, gloria immortalitatem. Alæ igitur Imagini ad-  
ditæ significant gloriam virtuti debitam, per totum orbem ter-  
rarum, & sursum in calum volare, nec sepulchro posse capi.  
Adducuntur & tubæ geminæ, ut significetur, virtutes magnor-  
um, & de genere humano benè meritorum virorum pleno ore  
solere cani, & passim predicari. Ac fieri potest, ut altera ge-  
minarum tubarum, poëtas, altera historicos aliosq; soluta ora-  
tionis scriptores denotet, quorum tuba tam sunt sonora, tam-  
que in canendo durabiles, ut ab ortu usq; ad occasum, & ab  
occasu usq; ad ortum, per omnia secula audiantur. Ac de  
poëtica tuba Ovidius sic inquit :

Carmine fit viva virtus, expersq; sepulchri,  
Notitiam setæ posteritatis habet.

Item Horatius :

Dignum laude virum Musâ vetat mori.

Qualis & quanta sit tuba illa altera in celebrandis cla-  
ris viris, quæ soluta oratione utitur, quæq; oratoria dici potest,  
satis ostendit epistola Ciceronis ad Lucium Luceium Quinti  
filium, in qua inter cætera summus orator sic inquit : Ardeo  
cupiditate incredibili, neq; ut ego arbitror, reprehendenda,  
nomen ut nostrum scriptis illustretur, & celebretur tuis. Per  
hæc igitur tubas, cum poëticam tum oratoriam, multi præstan-  
tissimi viri celebrati immortale nomen sunt consecuti, ut non  
minus per bonam famam apud posteros vivere videantur,  
quàm olim suis ipsorum temporibus vixerunt. Commemora-  
tionem exemplorum, quæ sunt apud scriptores innumerabilia,  
brevitatis causa omitto. Nec verò solum illæ personæ quæ tuba  
vel poëtica vel oratoria celebrantur, immortales fiunt, sed

ipsa etiam persona, qua huiusmodi tubis canunt, facile inclarescunt. Non minus enim immortalis factus est Homerus, quam ipsi illi Heroës quos divino suo carmine celebravit. Eodem modo judicandum est, de omnibus bonis scriptoribus, qui vel res cognitione dignas, vel personas virtute præstantes monumentis literarum commendarunt. Quicumq; igitur cupidus est immortalis vel nominis, vel gloria, (omnes autem cupidi esse debemus) hic aut præclare agendo & vivendo materiam præbeat tuba poëtica & oratoria, aut alterutra harum tubarum discat ipse præclare canere. Ad utrumq; comparandum, ingenium est necessarium. Sine ingenio enim nec laudabilis materia ad canendum suppeditari, nec hæc quas dixi, tuba præclare possunt inflari atq; usurpari.

D I X I.




VII.

PANEGYRIS, ANNI 1583.

SVB R E C T O R A T V

D. D. IOHANNIS BVSENREVTI  
IVRECONSULTI.

*Emblema Primæ curiæ, explicatum per  
Joh: Andream Genderum.*



**E**TSI me pudor, quem mihi natura  
tribuit, satis commoneare poterat, ne in hunc lo-  
cum, qui eloquentissimis ac eruditissimis omni  
tempore patuit, omnino descenderem: Viri omnium  
Ampliss: ac Nobiliss: Scholarcha digniss: ac prudentiss: vos  
deniq, ceteri Aud: ac hospites gratiss: ac ornatis: quia tamen  
à Magnifico Domino Prorectore jussus sum, ut in hac Am-  
plissimorum



plissimorum virorum corona, specimen ingenioli mei edam:  
ne forte id, quod in presenti accepi primum indignè accepisse  
videar, hanc provinciam nullo modo detrectare possum. Quae  
nam igitur hujus pramij sit imago: quodq; problema, dicam Aud:  
paucus. Sed antequam dicam, quasi obtestorq; vos, tribua-  
tis mihi hoc beneficium, ut dum hac summatim persequar, ora-  
tionis mea cursus, aura lenitatis ac facilitatis vestra adjuve-  
tur. Naturalis historiae scriptor Plinius refert, quod etsi ser-  
pentes hominem odio naturali & sempiterno prosequuntur, &  
quibuscunq; passunt modis laedunt, insiciunt, interimunt: ho-  
mini tamen contra serpentes, natura venenum concesserit pra-  
sentissimū. jejuni scilicet humani oris saliva: qua serpentes icta,  
velut aquae ferventis, contactum fugiant, quaq; si in fauces  
penetraverit, etiam moriantur. Hoc ut natura erga huma-  
num genus singulare est beneficium: ita sobrietatis & veneris  
luxusq; praclarum est simulachrum. Quid enim venere est  
venenatius? quid luxu nocentius? quid immoderatā vitā pe-  
stilentius? haec bonarum literum est venenum: haec artium &  
disciplinarum pernicies, haec omnis honesta vitae morumq; pe-  
stis & corruptela: Haec mentis usum pervertit: omnem hu-  
manae vitae dignitatem commaculat: DEI in homine sculp-  
tam imaginem debilitat: quin imò mente penitus & omnis  
verae artis usura spoliat, & quasi Circes poculo in putidissimas  
bestias transformat. Quid porro corporis robur perdit? in-  
temperantia: quid morborum iliada gignit? intemperantia:  
quid deniq; omnium vitiorum gurges, & sentina est malorum?  
Intemperantia. Non est, quod ~~in~~ vestram sine exemplorum  
appositione lentius haec à nobis dici miretur: vita atq; factis  
omnium penè hominum abundè satis hoc comprobari potest.  
Vultis igitur exemplis priscorum populorum apud vos utamur?  
vultis

12

vultis ex antiquissimis historijs regni dignitate viros illustres, hic verò vitijs infectos repetamus? Alexandrum cui ex rebus actis & auctis Magni nomen est inditum, Alexandrum inquam hanc luxuriâ, & immoderatâ voluptatum usu, cōprolapsum esse accepimus, ut optimos etiam amicos, inter quos Chytum suæ nutricis fratrem, in convivio occiderit. Quò impietatis & crudelitatis insatiabilis Nero impurissimus non proflyt? cum vino gulaq; tam deditus esset, ut mutato nomine pro Claudius Tiberius Nero, Caldius Biberius Mero dici meruerit. Sed quid ego te Alexander, quid te Nero, ex tanta antiquitate repeto? quasi vero nobis magno numero non sint in omnibus provincijs nepotes, qui sua vitæ perditissima sibi morbos attrahant, periculis se exponant, & in mille vitæ discrimina conjiciant. Hujus ergo Veneris vitæ trix est sobrietas. Hujus veneni antidotum est temperantia: Hujus malorum medela est vitæ moderata. Sobrietas enim ebrietatem pellit, ebrietate pulsa animorum perturbationes & omnis generis mala pelluntur. Quanta sit hujus virtutis præstantia, ex Græcis etiam cognosci nullo negotio potest. Hi enim insigni vocabulo σωφροσύνη nuncuparunt, dictamq; voluerunt, teste Aristotele, quasi σώφραν τὴν φρόνησιν, quod mentem ilibatam conservet, prudentiam, omniumq; virtutum officia pariat, atq; tueatur. Nihil itaq; per DEVM immortalem honestius, nihil præclarior, nihil præstantius, diviniusq; est temperantiâ, & omnis vitæ moderatione.

Sed de problemate satis, vel etiam plura quàm cogitasset. Nunc tandem, quod unum restare videtur, DEVM oremus sobrietatis & autorem & fautorem, ut suo nobis Spiritu, adsit, qui mentem nostram ac sensus ita regat

C 4

atq; gu-

atq; gubernet, ut in tota vita nostra sobriè pieq; degamus, & hac corporis mole tandem exuti & liberati, sempiternà cum ipso lasitiâ perfruamur.

D I X I,

E M B L E M A S E C V N D A E  
 CVRIAE, EXPLICATVM PER ILLVSTREM  
 & Generosum D. Comitem Philippum  
 Otingensem.



**N**on minus sapienter quàm utiliter, ab hujus inclyta Academia Proceribus constitutum est Mag: Dom: Prorektor, ut, qui in inferioribus censibus, ingenuis artibus operam dedere, prius cùm privatim, tum publicè suae industriae specimen aliquod darent suis preceptoribus, quàm ad alias tribus transferrentur. Non solum igitur non caruissem justa inobedientia reprehenden-

reprehensione, sed ignavia simul & negligentia nomine suspectus fuisset, nisi, quod à tua Magnif. mihi mandatum est munus, suscepissem. Quamquam autem non ignorem, non posse me satis commodè & politè ostendere, qui sit propositi mihi Emblematis sensus: ideoq; præceptis fuisse in suscipiendis hisce dicendi partibus videri possim: tamen ne temeritatis vitium fugiendo in aliud gravius delabar, Emblemata paucis explicabo. Pingitur in hoc argenteo numoleo robustus, & vir: qui dum compedibus constringere leonem conatur: luteo caput ejus obvolvitis: Huic picturæ hoc symbolum est additum: Ingenium superat vires: quoniam nihil aliud arbitror in aui, quàm non tam viribus, velocitate aut celeritate corporis res magnas geri, quàm consilio, autoritate atq; sententia. Nam quis non persuadeat sibi, ea quæ summis difficultatibus obstructa, obscuritate tecta, ancipiti dubiaq; cōditione involuta sunt, acri cōsilio, mentisq; acie potius per vestiganda, enodanda, peragrandæ esse, quàm corporearum viriū molem adversus ea comparādā? His enim humani ingenij tanta est, ut quò manuum nostrarum tela non pervenerint, eodem acutum consilium penetret. Potentia vero consilij expers, quoniam inconsultè & temerè agit, imprudenter & fortuito fertur, nec moram solum sibi, & impedimentum in agendo infert, sed mole sua ruit, totaq; destructa vanescit: adeo ut rectissimè dixerit Q. Curtius 7. lib. de gestis Alexandri, Consilio, non impetu opus est. Et Pericles judicabat, magis decere Imperatorem consilio & astu, quàm gladio multoq; sanguine fuso, potiri victoria. Compertum enim habeat, nihil non difficultatibus circumseptum, angustijs circumvallatum esse: ideoq; non tam in copias, magnasq; vires, quàm in acrem mentis industriam ad agendum intentam, spem esse descendendam. Hujus vestigia persecutus est Tarquinius junior,

D

quitum

qui tum ad unum nullo negotio civitates à bellorum ducibus  
 vinci posse censebat: si è medio Primates patrum prudentia  
 pollentes, sublatis essent. Sic Cicerone teste, Homerus non  
 Ajacem, non Achillem, sed Vlysses appellavit πολίτῳρθον,  
 quod extrema belli Trojani consilio & prudentiâ prosecutus  
 esset. Vnde liquet verissimum esse, quod nostrum symbolum  
 ait: Ingenium superat vires. Harum enim firmitas parit fi-  
 duciam: quae nonnulli nixi, non raro in periculum ac discrimen  
 adducti sunt. Nam Pompeio Thessalico prælio (ut ait Florus)  
 nihil magis exitio fuit, quàm ipsa exercitus magnitudo: In  
 magnam scilicet virium fiduciam, magnis viribus accingitur  
 fortuna (ut inquit ille.) Non igitur potentiâ, non fastu belli-  
 coso, non vi tumultuosa: sed vigilantia animo, sed acuto consi-  
 lio, sed prudenti & cautamente ad negotia tractanda acceden-  
 dum, res difficiles aggredienda, adorienda, consicienda sunt.  
 Quae cum ita sint, par est, ut, qui parum cauti & providi, ali-  
 quando tamen alios gubernaturi sunt, illis se adjungant, qui sui  
 ingenij aciem, longo rerum usu, ad bona deligenda, & rejici-  
 enda contraria exacerunt: hos, inquam, scētentur puerorum  
 Praetextatorum more, qui olim Roma, cum patribus Senatori-  
 bus boni exempli causa, in senatum ventitabant, ut eos qui-  
 bus præfēti fuerint, prudentiâ feliciter regant, non evertant  
 temeritate: ut deniq; civitas seu Respub. non inanimum: sed  
 vivum corpus sit. Civitas enim sine consilio est corpus sine  
 animo.


D I X I.



EMBLE-



EMBLEMA TERTIAE<sup>17</sup>  
 CYRIAE, EXPLICATVM PER IOACHI-  
 MVM à VVERNSTET.



**V**E madmodum antehac nihil unquam magis in votis habueram, quàm ut à toto studiosorum grege, non tam statutis Academicis, quàm fidelissimis praeceptorum nostròrum monitis studiosè satis fiat: sic nunc quoq; illud summa mihi esset iucunditati, si tua iussa exequi liceret, atq; ad problema mihi propositum suaviter & ornatè daretur respondendi facultas. Sed cum hanc mihi demandatam provinciam ingenij mei vires longè exuperare videam, neq; ea me sermonis venustate mentisq; acumine instructum esse noverim, ut quasvis quaestiones abstrusas indagare verbisq; politis dilucidas reddere possim: difficilimum sanè esse iudicavi, hunc ipsum publici

D 2      suggesti


suggesti locum conscendere, atq; meo meorumq; commilitonum nomine in celeberrimo virorum clarissimorum confessu progressus nostri specimen proferre. Licet autem hoc arduum atq; difficile mihi fuerit visum: volui tamen hoc potius obire munus, tuæq; voluntati morem gerere, quàm detrectando temerarij & ingrati hominis notam contrahere. Spero etiam fore, ut ego quàm brevissimè, & quidem pro atatis meæ ratione Symbolum hoc explicans, non minori quàm cæteri à vobis omnibus & singulis presentibus audiar benevolentia. Figura hujusce Congiarij nostri exhibet nobis globum quendam incendiarium, qui pro materia sua qua constat, sulphure videlicet, nitro atq; pulvere tormentario, in aqua supernatans lucentes edit flammæ. Qui licet interdum procellis aquæ prematur, atq; ita submergatur, ut flammæ prorsus videantur extinctæ, omnisq; spectantibus spes aliquando emergendi sit adempta, subito tamen illesus ex undis exurgit, suarumq; flammarum fulgorem non minus quàm antea coruscantem magna cum admiratione profert. Atq; hic globus etsi millies supprimatur, semper tamen emergit, nullog; modo potest opprimi, neq; flammæ ejus illa ratione suffocari, quàm diu flagrandi materia non penitus sit absorta. Hoc Emblemata rectissimè, quatenus ego quidem puerili atate rem intelligo, veritatis dignitatem & præstantiam mihi videtur innuere. Vt enim globus nunquam potest opprimi, licet interdum prematur: sic etiam veritas non prorsus obliteratur, neq; splendor ejus extinguatur, quamvis nonnunquam pessimis & caliginosissimis obruatur & obscuretur mendacij nubibus: Eæ siquidem semper ita solent extenuari & evanescere, ut veritatis radij integrè queant refulgere. Vnde etiam pulchrè & verè admodum Sophocles dixisse perhibetur: nullum mendacium senescere: Et Theophrastus: Ex calumnia!

calumnia & invidia conflatum mendacium ad exiguum tem-<sup>15</sup>  
pus durare, & paulatim flaccescere atq; interire. Proinde ex re-  
pentino & precipiti mendacij interitu luce clarius est, quàm  
solida sit veritatis constantia, ut videlicet nullo unquam tem-  
pore, quantumvis aliquandiu obscurata, penitus possit aboleri,  
sed relucere semper ac revelari soleat, non secus, ac sol omnium  
totius mundi luminum moderator ac princeps, tametsi fuerit  
aliquantulum obumbratus aut tenebris obductus, perdet tamen  
amen obscurari non potest: sed quasvis nubes tenebrosas tan-  
dem dispellit, suos clarissimos radios spargit, atq; hoc amplissi-  
mum mundi amphitheatrum illustrat. Videant nunc ij, qui  
veritatem temerè solent oppugnare, eamq; omnibus quibus pos-  
sunt viribus conantur opprimere, an non irritam & inancem  
sumant operam; an non cum larvis (quod dici solet) luctentur;  
an non DEO bellum velut Gigantes inferant. Cum veri-  
tatis tanta sit vis, ut præstantissima hæc, & admiranda cæli &  
terræ machina potius peritura sit, quàm veritas possit exter-  
minari: Hujus rei exempla, quorum aliquot myriades nobis,  
si id agere vellemus, historia suppeditarent, omnia brevitati  
serviens, ut etiam post me dicturo tempus supersit, prætereo  
unico saltem prius commemorato. Puto omnibus constare,  
laudabilem & memoriâ dignissimam Iosephi veritatem (cujus  
vita uberius descripta erit è sacra historia Genesios petenda)  
varijs jam mendacijs oppressam; admirabili tandem DEI ter-  
Opt. Max. consilio manifestatam fuisse. Licet fratres ejus pa-  
renti mestissimo impietatis suæ factum occultare, eidemq; ve-  
ste sanguine conspersa exhibenda, filium à feris dilaniatum  
esse, persuadere conati sint: Licet etiam sceleratissima Poti-  
pharis uxor Iosephum veracissimum & castissimum pndicitie  
violatæ accusare non dubitarit: Horum tamen conatus steriles  
D 33 fuerunt

fuert & irriti. Quapropter ne prolixior sim, Studiosi ad-  
 lescentes, nostrum erit, qui jam ex insigni Respub. Noribergen-  
 sis liberalitate his premijs honorificè donamur, ut quotiescunq;  
 symbolum illud intuemur, de veritate alacriter, constanter &  
 sincere tuenda & propaganda sedulo cogitemus.

D I X I.

EMBLEMA QUARTAE  
 CVRIAE, EXPLICATVM PER GENE-  
 ROSVM D. HEINRICVM BARONEM  
 à Tcheruemb.



**A** T HOC quidem certe est è pumice  
 aquam petere: à me adolescentulo ac in literis ty-  
 rove ejus argumenti explicationem postere:  
 quod vel maturis aetate, ac benè exercitatis viris  
 facessas

faceſſat negotium. Verùm quia conſtat, hic non tam ardens  
 à me requiri: quàm obedientiam: age annis & ego meo loco,  
 ne peccè in ea parte, in qua peccanti, venia dari nõ poteſt. Video  
 hic navim, in fluctibus jactatã: video columbam volantem cum  
 ramo oleagino: video deniq; oleam in littore eminentem.  
 Ex diluvij hiſtoria ſunt & ſunt ni fallor hæ icõnes. In hujus  
 hiſtoria (quam ſepè equidem tacitus admiror) maximarum re-  
 rum inefſe myſteria, certum eſt: ſive ad ſpiritualis illius vitæ  
 rationes eam referas (quia Eccleſia Chriſti in hoc ſeculo vivere  
 incipit: fruitura illã cum DEO in æternitate) ſive externe  
 vitæ rationes ſpectes. Ego qui de ſpiritualibus illis & abſtruſis,  
 non ſatis poſſum vel cogitare, vel loqui, in eo reſiſtam, quod eſt  
 facilius. Navis iſta in fluctibus jactata Eccleſia eſt: cum uni-  
 verſa, tum parte ejus qualibet: Republica ſcilicet DEO ſervi-  
 ens: Schola pia: Oeconomia honeſta. Nam totius & partis  
 hic quidem eſt una eademq; ratio. Columba civem Eccleſiæ re-  
 fert: Oleæ pacis ſignum eſt: quæ hic in ipſo littore maris loca-  
 ta, id notat, quod res eſt: dat DEVS, etſi ſeviente mari &  
 fluctu, aliquid tranquillitatis: quemadmodum oleam illam, de  
 qua ramum ſuum decerpiſit columba Noæ, in univerſali illa re-  
 rum omnium interneſione, vel conſervavit, vel certè novam  
 repente produxit: Ita ſcilicet hodiè etiam concedit pijs aliqua  
 balcyonia in ſeviſſima hieme: ac velut in Medææ ſinu, colum-  
 bula ſua nidulum ſuspendit, ac defendit. Cujus columba hoc  
 debet eſſe ſtadium, ut cum cætera operetur, quæ in avis hujus  
 natura pinguntur, tum diſcendo & agendo, ea quæ ſunt pia,  
 ſancta, honeſta: (quæ verè ſunt ramus oleæ, ac virgula divina:  
 omnibus turbis hujus vitæ componendis idonea) His ergo diſcen-  
 dis agendisq; ut prodeſſe ſtudeat tota vita ſua, optimè de ſe meri-  
 ta nutriticula: atq; ita ramum oleæ ad naviculam Noæ, nutriticij



sui deferat. Nusquam ô commilitones, nusquam apparet, in  
 hoc nostro numismate corvus: is dico corvus, qui ab Nona  
 nutricia emissus, libero mox volatu auferebatur: oblitus sui nu-  
 tricij: oblitus arca illius, in qua fuerat conservatus: in qua  
 fortasse etiam invitus, toto illo anno, fuerat detentus: Perinde  
 ut solent barbara ingenia, scholas & disciplinam omnem odisse  
 ac detestari. Absint ô commilitones, à mentibus nostris mores  
 isti, & ἀσεργία ista corvina: Simus semper memores navicu-  
 læ nostræ, in qua benignè alimur ac fovemur: eig, studeamus  
 tota vita, qua debemus θεεπιτηρία reddere. Hoc si agerent, si  
 huc incumberent à primis annis mortales: rectè constaturum  
 erat id, quod habet brabèi nostri ἐπιγαρχία: Pax aurea sæcli:  
 ut scilicet & Ecclesie (qua est Νῶε κιβωτὸς vel potius Christi  
 cymba) Et Republica illud sartum tectum esset, quod hodie in  
 rebus humanis nihil esse videtur, nisi inane nomen, Pax &  
 concordia & tranquillitas: absutura vero erant lites malæ, &  
 turbæ infelices, quibus hodie inter se colliditur orbis terrarum.  
 Sed ut, quid alijs agant, prestare nos non possumus: ita illud no-  
 bis ô commilitones, omnibus & singulis convenit, ut nobis  
 semper hanc legem dicamus, ut Ecclesie, ut patriæ, ut Reipub.  
 ut scholæ in cuius sinum, tanquam navim, recepti sumus: hujus  
 inquam veluti atq; altricis nostræ, paci atq; incolumitati ut  
 pro virili nostra, ita uti jam monui, consulamus: Et cum ta-  
 lis nutricula omnibus nobis hoc tempore, sit Noribergensis Res-  
 publica, cum alijs rebus, tum eo ipso, quod tam constanter, tam  
 benigne hanc Academiam, hanc navim nostram fovet: Nos  
 officij nostri memores semper ad illius honorem atq; commoda  
 nos adjungamus: & cum alijs rebus quibus possumus, tum pre-  
 cibus pijs semper ei salutem ac faustitatem omnem à DEO ater-  
 no optimo maximo, exoptemus. D I X I.

V I I I.  
P A N E G Y R I S, A N N I  
1 5 8 4.


17

S V B R E C T O R A T V  
D. D. T A V R E L L I M E D I C I.

*Oratio prima classis, recitata*

à

C A R O L O S C H E V R L  
Noriberg.



**C**VM à dicendo A. pueritiam meam  
revocare solet, rerum inscitia & pudor ingenuus, qui  
maximè ornat hanc aetatem: tum in hac publica actio-  
ne, ita me multa perturbant, ut quantum leges, tuarq; autori-  
E tas M. D.

tas: *M. D.* Rector spei mihi afferunt, ad explicationem hujus Emblematis suscipiendam, tantum timoris rei difficultas incutiat.

Primum dico de Emblemate explicationeꝝ ejus, quod ipsum etsi satis laudatum, majus tamen mihi dicendi onus impositum sentio, quàm in humeris meis coherere possit. Deinde id Emblemata, cujus animal non dicam à me, sed vix unquam in Germania visum est, cogor illustrare. Accedit ut rationis, que huic re clamat firmitate, & classicorum autorum, in hujus descriptione disensione perturber. Perturbat me *A.* etiam illud, quod tamen cum vos penitus recognovi, timere desino. Re enim temerarium est, sed *v.* patientia fit equissimum. Nam puerum dicere apud Mag. Nobiliss. Clariss. & doctissimos viros, quorum auditor esse debebat, si per se ipsum consideretis, nefarium est: pueros enim in confessu seniorum & doctiorum tacere decet. Sed vestra *A.* prestans singularisq; benevolentia, hunc mihi metum minuit. Non enim tam timeo, quid me deceat, quàm intelligo, quid de ceterisq; meis commilitonibus expectetis. Moveor etiam loci ipsius magnificentia, quid ego classicus auditor, & in hoc genere nunquam exercitatus, hoc Emblemata, quod à nullo unquam inveni tractatum, illustrare cogor. Dico enim in tanto conventu & frequentia literatorum virorum, in quo nihil nisi certum & eruditum proferri debet. Hac me cura, hac difficultas circumstat. Quare quoniam actio maximè debilitatur loco & rei perplexitate, vestrum est *A.* quid ego puer in hac actionis difficultate prestare possim, ad limatum prudentia vestra judicium vocare, quo facilius sum equitas vestra, tum consueti audiendi benevolentia mihi hanc perturbationem meam.

Primum

Primum autem de Basilisco, qua gravissimis sunt certissimūq; monumentis testata dicam: deinde de Emblemate pauca subjiciam.

Ad Basiliscum quod attinet, quem nonnulli, quòd rex serpentum sit, regulum vocant, nomine notius, quàm visu animalest: & varietas scriptorum, quòd plurima de hac fabulosa narrarunt, historiam in dubium incertumq; vocarunt.

Galenus lib. 10. de med. simpl. Basiliscum se nunquam vidisse fatetur: & P. Aegineta lib. 5. c. 20. scribit: hanc questionem rariò oculis hominum occurrere, & propterea in hujus curatione nihil se expertum. Quid ergo, in rerum natura Basiliscum esse negabimus? Historia temporum reclamatur, opposita Medicorum huic malo remedia contrarium ostendunt. Nicander enim in Theriacis hujus meminit. Erasistratus, ut Diosc. l. 6. c. 38. notat, signa hujus morsus notat, & auxilia prescribit, ut & Galenus & Aëtius. Solinus c. 30. scribit: Pergamenses magnam pecuniam summam pro Basilisci cadavere numerasse, quod reticulo aureo suspensum in Apollinis aede locarunt, ne vel aranea intexerent, nec alites involarent. Plinius lib. 8. c. 2. in solitudinibus Africa inhabitare scripsit, in Cyrenaica potissimum provincia. Scaliger exercitat. 24. h. d. 4. scribit: Leone Pontifice Maximo ad adem Lucia sub fornice stabulatum Basiliscum: cujus afflatu magna lue affecta Roma fuerit, eumq; illius precibus extinctum. Mercurialis lib. 1. c. 21 de venenis, se apud Imperatorem Maximilianum Basilisci cadaver vidisse affirmat, quod in thesauris sit servatū. Esse igitur constat: qui autem esse dixerunt: tanta sunt in varietate & dissensione constituti, ut quòd me verà nesciam: in hoc tamen summi conveniunt auctores, Quod Basiliscus sit serpens duodecim non amplius digitorum, sive trium palmarum longitudine, ut

Plinio placet: Solino vero penè ad semipedem longitudinis est: corpore flavo è nigredine in cinereum vergente, capite acutissimo, in quo tres habeat eminentias, maculis subalbidis insignitas, ad diadematis formam: Vel ut Solinus loquitur, alba quasi mitrula lineatus caput: oculos habet rubentes: non ut reliqui serpentes corpus impellit, sed dum progreditur, anteriorem corporis partem in altum tollit & erectus incedit, & in eundo posteriori tantum parte adiuvatur. Huic error pedes affinxit. Hunc ex antiqui galli ovo in vitam venire qui dicunt, licet tota ferè Europa falsa hac opinione imbuta sit, non solum cum ratione naturali pugnant, verum plus quàm res & veritas concedat, dicunt: ut Albertus Magnus demonstrabit, & ob id Nicander quoq;, nullam hujus generationis mentionem facit. Miror itaq;, doctissimum alioquin Lemnium è dementia venisse, ut nugas has rationibus suffulcire conatus fuerit. Non enim alium quàm reliqua serpentes ortum habet. Serpentum vero omnium venenatissimus. Solo enim halitu, urit, corrumpit, & interficit obvia quaq;. Ita ut Lucanus, lib. 9. scribat per telum aut baculum, quo quis hunc serpentem ladat, ad manum usq; decurrere virus.

Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Mauri  
 Transactus? velox currit per tela venenum  
 Invaditq; manum.

Addunt alij, si Basiliscus equum tangat, non solum equum, sed eum qui insidet mori. Nec hominis tantum, vel aliorum animantium exitio datus est: sed terra quoq; ipsius, quam polluit & exurit: rumpit quoq; saxa. Deniq; exinguit herbas, necat arbores, ipsius etiam corrumpit auras, ut aërem nulli alicui impunè transvolet infectum spiritu pestilenti.

Sibilum



<sup>19</sup>  
Sibilum ejus serpentes alia perhorrescunt, & ex eo de praesentia ipsius certiores, etiam pastum in quo versantur sugiunt, eiq; locum relinquunt: ut Lucanus testatur.

Sibilaq; offundens cunctas terrentia pestes,  
Ante venena nocens, latè sibi submovet omne  
Vulgus, & in vacua regnat Basiliscus arena.

Sic in Diana templo Basilisci corium appensum fuisse scribunt, propter quod nulla hirundo introvolare auderet. Quicquid morsu ejus occiditur, non attingit fera, non attrectat ales: si quid gustat, statim moritur: atq; ita ne defuncto quidem vis deest. Ex dictis pestem hujus maximam esse videmus, minus tamen perniciosam quàm vulgus credit. Licet enim Gal. l. de theriaca scribat, Basiliscum oculorum radio & sibilo simplici, eos, qui audiunt vel vident interficere: non possum tamen ut credam adduci. Si enim vel emittendo vel recipiendo veneno suo videntes, vel à se visos interficit, à quo potuit id literis mandari? mortui certè non loquuntur. Credibilis ergo, velè morsu, vel venenato ipsius halitu mortuos.

Signa quae ejus ictum sequuntur sunt: Primum totius corporis inflammatio, idq; ob vehementem calorem, per omnes venas & arterias sparsum: ita ut caro etiam corrumpatur, putrescat, & frustulatim decidat. Secundo quod Erasistratus notavit, plaga subaureo tingitur colore, ob sanguinem mutatum in flavam bilem tenuiore parte putrescente.

Tertio Aëtio lib. 3. c. 33. teste, pilorum defluviùm sequitur. Nam veneni qualitas intra cutem & carnem radices pilorum exedit.

Ad hujus morsum Erasistratus, ut Dioscor. l. 6. c. 40. autor est, castorij drachmam in vino potam, & papaveris suc-

cum exhibuit. Aëtius vero propter veneni vehementiam & repentinam virium solutionem, nullum medicinae locum relinqui affirmat.

Tanto monstro mustelarum virus exitio est, quos illic homines inferunt cavernis, in quibus delitescunt. Vfus hujus bestia nullus reperitur, nisi quod Plinius lib. 29. c. 24. scribit: Magos sanguinem ejus miris laudibus celebrare. Nam tribuunt ei, successus petitionum à potestatibus & à Dijs etiam precum, morborum remedia, veneficiorum amuleta.

Qua sit natura & historia bestia in nostro nummo depicta, audivistis: jam paucis etiam quid inscriptio, qua talis est: Improbis sui ipsius poena: sibi velit, mecum considerate.

Quid vitium seu improbitate in hominum societate perniciosius? nam licet in terra bonorum consortio deserta habitet; (nam vitia nullo virtutum confinio aut commercio mixta) tamen tanquam serpens è latibus emergit, caputq; attollit, cuncta percursat, ut quam longè datur virus suum ejaculari possit. Per oculos & aures venenosam suam qualitatem immittit, imò per extremos corporis artus ad cor vitæ fontem repit, illudq; ad omne bonum inutile reddit. Nam ut ignis aridam materiam totam absumit, praesertim si ventus accedat qui flammam excitet & deducat: ita vitium si hominem invaserit, omnia pervadit viscera, spiritibus malignis insum accendentibus. Quibus omnes conatus bonos infringunt, virtutes fugant, hominemq; ita insatiant, ut divino destitutus auxilio aeternæ mortis servitiam effugere non possit. Flexibiles enim homines quamcumq; in partem ducuntur ab improbitate: eòq; obsequij continuatione perveniunt, donec illius moribus vivant. Adeo vitium & igne est, & ferro violentius.

Signa

29

Signa tanti mali sunt pietatis fuga, mendaciorum & falsorum dogmatum cupiditas: bonorum odium, conjuratio malorum: virtutum eversio, voluptatum studia: lucis & veritatis expulsio, tenebrarum amor.

Et nisi quis initio statim occurrat, de hominis salute aeternum est. Nam quod merito suspicere homo debebat, id tanti mali peruersio attendere non patitur. Sed ut acerbitas dentibus, stuporem infert, & sumus oculorum visum hebetat: ita improbitas & malitia maximum sibi ipsi infert damnus. Rectè igitur Epictetus monet: κόλαζε τὰ παθή, ἵνα μὴ ὦ ἀυτῶν πικρῆς. Coerce affectus ne ipsis des poenas.

In visa autem nobis fiunt vitia, cum ratione perspicimus, quae damna ea dent, quam adferant turpitudinem. Deinde rationes sunt subducenda eorum, quae a contraria virtute eveniunt, bonorum.

Vsus hujus mali nullus est nisi ad maleficia & voluptates. Qua melius est tacere, quam vel leviter attingere. Nihil enim pulchri a turpitudine expectandum.

Hunc igitur Basiliscum commilitones optimi fugite, & quicumque virtutem bonorum patriam intuemini: terram vitij squalidam praetervehite: auresque vestras ad hujus serpentis sibilum firmiore quam Ulysses spissamento claudite: Quia non ex uno scopulo, sed ex omni terrarum parte circumsonat: Suo tamen malo, ut Basiliscus tandem perit, sequitur ipsum conficit. Nam ut vetustas, efficitas species & expressas imagines conficit & consumit: ita nihil ex improbitate ad posteros, nisi infamia, nominisque ruina redit.

D I X I.


E 4

ORA-

# ORATIO SECUNDAE

CLASSIS, RECITATA AB  
ANTONIO SIGERS.

H O F F N.



**R**udenter certè virtus vitio oppo-  
nitur. Nam contraria contrarijs optime il-  
lustrantur. Optandum ergo, ut me aliquis do-  
ctior, virtutis studium suis proprijs coloribus  
adumbrare jussus esset. Agnosco enim quan-  
tum ad hoc præstandum mihi desit. Attamen onus hoc labo-  
ris & officij, à M. T. mihi impositum, feram ut potero. paren-  
dum namq; legibus. Spero A. consideraturos, non tam quid  
aures ipsorum expectent, quàm quid viribus meis conveniat.

Emblema nostrum: Virtus post fata superstes: quod quid  
cum Rosa commune habet: attendite. Rosa per se mollis, odore  
& colore

& colore suavis, & hinc Plutarcho l. 3. sympos: q. 1. ὅτι εἴῃμα<sup>21</sup>  
 πολὺ τῆς ὀσμῆς ἀφίησι, quod largum odoris effluuium emittat,  
 dicta: è spinosa tamen nascitur stirpe, & mordacibus aculeis  
 horrenti. Ita etiam virtus, qua nihil elegantius, nihil suavius,  
 nihil praestantius, nascitur quidem in corrupto & vitioso homi-  
 nis corde. sed tamen ipsa per se nec laedit, nec vulnerat conscien-  
 tiam, sed multo magis hominem eximiè ornat, & omnib. ju-  
 cundum reddit. Aspera quidem est, & acclivis ad eam via,  
 ut nemo eam absq. multo sudore & labore sibi comparare possit.  
 Quis enim unquam dormiens trophaum statuit? quis indul-  
 gens delicijs & tiliarum concentui, continentia coronis redi-  
 mitus est? nullus sine cursu meruit praebejum. Labores  
 gignunt gloriam, & certamina coronas acquirunt. Ut tamen  
 omnia alia, quae pulcherrima sunt, maximeq. necessaria, perni-  
 ciosissima evadunt, nisi quis rectè utatur: Ita cautè virtutis  
 ratio ingredienda, nihilq. temere suscipiendum: ne idem no-  
 bis quod Satyro dicatur, qui cum ignem è calis in terram depor-  
 tatum primùm vidisset, complecti eum voluit & exosculari:  
 heus, inquit Prometheus, ni caves hirce, profecto dolebit tibi  
 mentum.

Rosa deinde inter omnes flores, ut facile principem obtinet  
 locum, omnib. aetatibus gratissima est, juxta illud Anacre-  
 ontis:

ῥόδον ᾧ φέρισον ἀνθῶ,  
 ῥόδον ἔαρος μέλημα  
 ῥόδα καὶ θεοῖσι τερπνά.

Hoc est, interprete Henr. Stephano:

- ~ Rosa honor decusq; florum
- ~ Rosa cura amorq; veris,
- ~ Rosa czlitum voluptas.



Ita etiam virtus corporis & fortuna bonis longè præferenda. Nam omnibus aetatibus, sexibus & juvenibus, viris & mulieribus, omni loco & tempore convenientissima. Et quicquid supra & infraterram est auri, si Platoni credimus, cum hac comparari non meretur. Nam ut Chrysippus scripsit, secundum solam virtutem licet feliciter vivere, reliquis nihil ad nos pertinentibus.

Tum ut rosarum aqua cutis delet maculas, illamque ab omni turpitudinis nota liberat, oculorum fluxiones sedat: solis autem contusa libidini & inflammationibus resistunt: Ita virtus contra vitiorum impetus arx est munitissima: omnes animi navos tollit, libidinis flammam extinguit, impudicos oculos deficit, impuros sermones reprimit, omniumque aditu vitia cuncta intercludit. Ut enim improbitas studia honestatis excitata deficit, dejecta exanimat, exanimata funditus extirpat: ita virtus ejusdem studia erigit, exanimata recreat, dilapsa colligit.

Præterea ut rosa, quod Plinius notavit, siccis locis quam humidis odoratior est: ita etiam virtus in temperatis & sobrijs, non in temulentis, & perpetuò madidis cordibus odorem suum fundit.

Rosa recisione & ustione proficit, floremque melius profert: relicta vero excrescit & sylvescit. Sapius ergo transferenda: sic enim pulchriorem effundi affirmant Theophrastus & Plinius. Ita etiam virtus afflictione & cruce, inedia & siti incrementum sumit, veroque nitet colore. Nam secunda felicem, adversa verò magnam probant virtutem. Eique nil tam utile est, quam ad usum secundorum per adversa venisse.

Rosarum alia citius, alia serius florent: & si autumnus prolixior, denuo rosas erumpere experientia testatur. Ita & virtus

22

virtus in prima, media & senili floret atate. Nam quemadmodum Aegyptus alendis augendisq; seminibus gloriata est, ut nihil imbribus calog; debere videatur: ita virtus propriâ semper felicitate perfusa, nullo alio externorum bonorum egens omnem atatis sterilitatem arcet.

Tandem rosa non solum viridis, sed arida & mortua quasi, summè utiles, variosq; de se producit effectus. Nam aqua stillaticia corroborat, spiritus reparat, calida clementer refrigerat. Succus alvum lenit & subducit. Restuata vero rose, cor, hepar, ventriculum, renes, & alia viscera debilia, confirmant: dolores mitigant: fluxiones & sanguinem sistunt: sudores reprimunt. Rhodomeli vulneribus, ulceribus, eruptionibus, (adstringit enim & siccat) utilissimum. Oleum calores omnes sedat, inflammationes prohibet. Ut autem rosa nihil fugacius, & tamen marcida & demortua maximos de se fundit fructus: ita hominis vita caduca quidem & momentanea, virtus tamen nunquam morti succumbit, sed perpetuò virescit. Ut Euripides canit: ἄδ' ἀρετὰ καὶ θανάτῳ λήμπτῃ: id est: virtus etiam morte preemptis lucet. & alibi:

ἀρετὴ δ' ἐκὼν θάνητις, ἢ ἀπόλλυται,  
Ζῆ δ' ἢ ἐτ' ὄντος σώματι.

Virtus autem etsi moriatur quis, non interit: sed vivit corpore non amplius existente. Hac summus aequat infimos: suosq; cultores caelo dicat. Nam vita defunētis aeternam apud posteros conciliat gloriam, Dum facta laude digna in hominum conspectum lucemq; profert: exempla plurima imitanda relinquit: posterisq; honestatis lucem accendit.

Theophrastus ἐν τῶν ἀφύλλων sive centifoliam rosam, circa Philippos exire refert. At virtus infinitas de se parit

utilitates. Cultores enim majores, & clariores, quibus contingit, efficit: & reliqua cuncta bona huic cedunt. Utq; parva & exilia sydera validiorum exortus obscurat: sic virtutis adventu, omnium fortuna & corporis bonorum dignitas in-  
umbratur. Ergo

”                   petite hinc juvenesq; senesq;  
”           Finem animo certum, miserisq; viatica canis,


& erectis cum Antisthene statuis & trophaïs: unicam immortalitatis censuram, virtutem statuite. Virtutis namq; laurea nullo temporis intervallo amittit viriditatem, sed digna gloria perpetuaq; laude florescit quotidie magis. Huic nulla flamma, nulla aquarum inundatio, nulla senectus, nihil invidi nocere possunt. Primum ergo, nomen, ut Plato sapienter movit, parate, timperennitatis vobis non deerunt monumenta.

D I X I.



ORA.

ORATIO TERTIAE  
CLASSIS, RECITATA à LAZARO,  
HALLER NORIBERG.



**N** congiario nostro Auditores ornatissimi, ardeam cum falcone expressam videmus, infestis unguibus & rostris acerrimè inter se depugnantes, & ex immani suo furore hostisq; prosternendi atq; interimendi cupiditate, hoc lucri reportantes, quòd mutuis tandem ictibus atq; vulneribus confecti, ambo exanimis concidunt, & communi exitio acerbitatis atq; immanitatis suae pœnas luunt: pariterq; necant, pariterq; necantur, ut ait bonus in primis poëta Guntherus: velut de piscibus suis Oppianus: ἀμιλλῶς ὀλέκσιν ἀμοιβαίῳσι φόνοισι. Additur his inscriptio ista: Nulla salus bello. Quo quidem Emblemate omnibus perspicuum est, bellorum nobis tum saditatem &

*turpitudinem, tum etiam, qui perpetuò ex illis enasci consue-  
 derunt, fructus, ob oculos poni: & ab eorum studio, ceurei non  
 minus pestifera & noxia quàm scelerata & impia, omnes sana  
 mentis homines revocari. De quorum utroq; de bellorum,  
 inquam, turpitudine & indignitate, tum de tristissimis illis,  
 quibus ea miseros mortales afficere solent malis & calamitati-  
 bus, uti mihi paullo quidem explicatius, quàm fieri tamen po-  
 terit brevissimè differenti, aures benevolas praebeatís, reve-  
 renter & majorem in modum vos rogo.*

*Primum ergo, si unamquamq; rem, tanto plus in se con-  
 tinere sceleris atq; turpitudinis, tantoq; hominis prestantia in-  
 digniorem esse arbitramur, quanto longius à natura illius usq;  
 quas à DEO Opt. Max. accepit, vivendi legibus, abhorret;  
 bellum profectò, in rerum omniratione & modo execranda-  
 rum, summoq; ob id studio & contentione fugiendarum nume-  
 ro veluti principatum quendam intelligemus obtinere. Si enim  
 corporis humani, omniumq; adèò partium illius rationem, for-  
 mam atq; fabricam oculis animoq; perlustrare voluerimus, pro-  
 tinus intelligemus ipsam naturam omnium parentem, homini  
 ad pugnandi quidem, & immanium belluarum in morem de-  
 certandi usum nihil, ad pacem vero, amicitiamq; cum alijs co-  
 lendam, omne organorum & adjumentorum genus abundè  
 suppeditasse: atq; ita ipsa corporum nostrorum figura, quasi so-  
 nora voce testari voluisse videtur, hominem à belligerandi qui-  
 dem vesania quàm longissimè remotum: amicitia vero colen-  
 dae, salutisq;, tum suae, tum aliorum quoq; procurandae studio so-  
 lum dicatum, consecratumq; voluisse: adèò ut, quo majore  
 quisq; belligerandi teneatur studio, eo magis à natura suae con-  
 ditionibus recessisse, magisq; ad ferarum bestiarum diritatem  
 & truculentiam degenerasse videatur.*



Vbi vero jam ad egregios scilicet fructus illos, quos de-  
festabilis illa bellorum rabies proferre solet, oculos converti-  
mus, nihil verius in illam quadrare deprehendemus, quam  
quod de commentitio illo monstro suo poeta extulit :

Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla  
Pestis, & ira Deum stygiis sese extulit undis.

Ita enim profecto res habet ut dico. Quantum pax omni-  
bus, quae homini novisse datum est, felicitatibus, omnibusque  
victorijs & triumphis antecellit: tantum etiam omnes omni-  
um generum, tam publicas quam privatas calamitates una bel-  
li miseria superat: ut nulla carum sit, quin felicitatis cujusdam  
instar obtinere videatur, si cum hac malorum & miseriarum  
quasi aeterna comparetur. Pests enim contagium (ut in uno  
saltem exemplo rem spectemus) quamvis ipsum quoque, luctu o-  
mnia complectere, domos, urbes, integras regiones funestas deso-  
latasque reddere negari non possit: illius tamen, vel in loca mali  
illius expertia aliquantulum succedendo, vel etiam medicorum,  
remediorumque, salutarium ope utendo, devitanda facultas ali-  
qua conceditur: aut, si maxime in praesidijs istis nihil auxilij  
contra malum illud nobis relictum esset, corporibus certe no-  
stris solus illud minatur, animis vero, prout ut & bonis atque  
facultatibus nostris nihil ab illo periculi est; in leges quoque  
inque disciplinam publicam nihil ipsi juris conceditur; Reli-  
gio denique, juventutis mores & institutio, virginum atque ma-  
trouarum decus & pudicitia, extra omnem periculi illius  
aleam sunt: Bellorum vero ubi primum ingruit tempe-  
stas, quicquid pestilentiae calamitas reliquum fecit, uno  
quasi ictu, saevissimi fulminis in modum prosterne: moribus  
non minorem, atque utinam non multo majorem, quam

corporibus perniciem affert: omnes leges, omnia jura, omnem  
vita honestatem conculcat: divina humanaq, nullo discrimine  
habet: sacra prophanag, omnia miscet: & (quod omnem malis  
sensum exsuperat) parentes pios sexumq, imbecilliorum ea sus-  
ferre cogit, quorum vel à commemoratione sola piorum homi-  
num refugit animus. Ut ne addam ad hæc, agrorum depopu-  
lationes, villarum conflagrationes, agricultura neglectionem,  
minimè fallacia futura famis *περὶ πλοῦτος*, quæ, ut certissimi  
bellorum comites sunt, ita multo etiam tristiorum & misera-  
biliorum superstitem quàm Martis impetu peremptorum con-  
ditionem faciunt. Ad extremum vero, interfectorum ca-  
daveribus repleta via, undantes cruore campi, tincta sangui-  
ne humano flumina, quis tam ferreus est, cui dirà ac funesta sui  
recordatione peccatus non effodiant? Atq, utinam saltem hu-  
jus solummodo vitæ spacijs, tam tetra hæc circumscripta forent  
mala, nec post infelicem illam, in medio alios contrucidandi,  
aliarq, innumera per summum scelus patrandi ardore vitæ pro-  
fusionem, miserrimas animas infandis, nulloq, fine terminan-  
dis cruciatibus & suppliciis objicerent: Cujus tamen rei, heu ni-  
mia in militari hominum genere oblivio est: ut mirum sit,  
quantum vulgo risum hominis illius moveat simplicitas, qui,  
ut aliquam ejus rei rationem habeant, suadere illis conetur.  
Dicat vero hic aliquis, victis tantummodo hæc tam atrocia,  
victoribus vero omnia evenire æquiora & latiora. Nequiora,  
opinor, dicere te putasti & improbiora: ea enim ferè illi ho-  
minem generi latitiã pariunt, quam equidem plerumq, semper  
contingere victoribus fatendum sanè est: ut videlicet, quan-  
to quis ex acie felicior, tanto etiam discedat nequior & impro-  
bior, ac ad omne immanitatis, libidinis similitumq, flagitiorum  
perpetrandum genus audacior atq, efferatior. Ut maximè au-

autem carcant victoria multa vitij istis : Quanam vero  
 sponsione tibi illam certo promissam esse dices? quasi vero omnis  
 belli Mars communis non sit, aut unquam minus quam in bel-  
 lis fortuna respondeat, ac non saepe numero salubriter destinata  
 ratione omni potentior fortuna discutere soleat. Quid quod  
 illorum quoque malorum, quibus sibi affecisse hostes suos videntur,  
 minimè expertes esse victores ipsi consueverunt? numquid  
 enim non vetustas modo, sed nostra etiam parentumque nostrorum  
 memoria exemplorum plena non est, qua sibyllinum illud  
 comprobent oraculum :

Κλαίει ὁ νικηθεὶς, ὁ δ' ἔ νικῆσας ἀπόλαλε.

hoc est.

Flet victus ; sed victorem mors atra peremit.

qua adducere nisi instituta id prohiberet brevitatis, non magni  
 forte laboris foret. Quamvis vero non omne bellorum ge-  
 nus promiscuè damnatum velim : tamen unam divina gloria,  
 & Ecclesie tranquillitatis propugnationem sufficientem &  
 idoneam illorum non tam inferendorum, quam propulsando-  
 rum causam esse debere statuo. Temerè enim, & præter eas,  
 quas modo dixi, causas, sub jurium nescio quorum prætextu  
 cuiquam homini nato bellum inferre, tantum abest, ut pium  
 & Christianismi legibus conveniens esse putem, ut ne quidem  
 simili armorum tumultu atque apparatus propulsare & vindicare  
 illud fas esse ducam, ubi declinandi illius, vel de jure nostro  
 aliquatenus cedendo, vel bolum aliquem hosti objiciendo facul-  
 tas aliqua conceditur. Quomodo à laudatissimis quibusdam  
 Rebuspub. vel iniquam pacem justissimo bello præferentibus,  
 non minore sua cum laude, quam subditorum salute & proste-  
 ritate factum esse accepimus.

G

Quare

Quare si tributam nobis ab ipsa rerum natura dignitatem & decus tueri, si contra summum dedecus & infamiam, ob turpissimam à creationis nostrae lege degenerationem, effugere, si item morum perniciem, facultatum pestem, si denique corporum atque animorum presentissimum exitium à nostris nostrorumque capitibus depellere cupimus: age non modo omnes conatus, consiliaque nostra togae & pacis, non vero belli & armorum socia esse velimus: sed etiam celebrandum DEVM, pacis & tranquillitatis omnium, omniumque inde efflorescentis prosperitatis benignissimum datorem ex intimo cordis affectu veneremur, ut concessam adhuc dulcissima patriae nostrae pacis felicitatem in perpetuum stabilire ac tueri, & vero turbatores illius omnes, propter sanctissimi nominis sui gloriam, potenter refranare & compescere: & denique

Nostrorum oblitus scelerum, meritiq; furoris  
in vicinorum quoque regnorum, sub huiusmodi miseriarum mole  
gravissime pressorum finibus,

Aurea sublato pacis dare saecula bello,  
clementissime dignetur.


D I X I.



ORA-

26

ORATIO QUARTAE  
CLASSIS, RECITATA  
PAVLO ERNESTO  
NORIBERG.



**B**Rabeum nostrum, Humanis. Auditores,  
 ab una quidem anterioris faciei parte lucernam accensam,  
 & candelabro impositam, lumenq; suum pro quantitatis suae  
 modo circumquaq; spargentem praefert: ad latus vero illius, so-  
 lis, letissimo aspectu jubar suum explicantis luminisq; sui radi-  
 os in omnes partes longè latèq; diffundentis, ipsq; sparsum à lu-  
 cerna lumen veluti offuscantis effigiem representat: hoc addi-  
 to Elogio: Caestili lumine vincor. Candela sive lucerna hujus  
 lumen, duarum rerum significationem includit, quarum una,  
 rationis sive mentis humana lumen est, Altera vero lumi-  
 nis hujus



nis hujus perfectio, Philosophia omniarum humanitatis & mundanae sapientiae studia: quibus duobus (si unum illud de quo brevis post sequetur, excipias) sub universo cali complexu nihil datum est homini praestantius aut divinius. Etenim quidnam aliud perhiberi possit ratio (ut de priore prius agamus) quam ipsius divinae sapientiae in nos transfusus radius atque igniculus quidam? quum ipsamet illa celebrandi DEI in prima nostri creatione nobis impressa effigies atque imago? in qua, ut omnis natura nostra supra ceteras animatas praestantia atque eminentia fundata est, ita etiam per unam illam ad DEI summi opificis similitudinem, ceu verissima & germana illius soboles, quam quidem in exilio hoc nostro fieri potest, proximè accedimus: quaque adeo ex homine quasi DEVM quendam terrenum efficit, qui, quale DEVS ipse in tota rerum universitate, tale ipse quoque hic in terris, creaturarumque rerum ordine quasi regnum obtineat. Philosophiam vero & artium honestissimarum studia, quis nescit, homines eos qui earum sibi compararunt notitiam, tantum quidem supra ceterorum mortalium dignitatem erigere, quantum illi antea mentis & rationis beneficio omne animantium genus excelebant? Quanto enim ager aliquis diligentis agricolarum subactus atque excultus cura, latissimaque optimarum frugum copia cultorem subinde suum ditans atque exhilarans, altero aliquo, frugibus horrea non usque, adeo distendente potior est: quanto lux tenebris venerabilior: quanto item circumcuratus aliquis & ad officia obsequiarum omnis generis infessorum praestanda condoceratus equus, indomito atque inertis aliquo cespitate generosior & melior habetur: quanto denique cuiuslibet rei perfectio, illa qua longiusculo etiam ab eo intervallo abest, altiore dignitatis gradum, meritisimo jure obtinere censetur: tanto profecto, Philosophiae artiumque laudandarum studijs

rum studijs exculta ratio communem ceterorum hominum rationem, hujus veluti pretiosissima purpura tinctura non imbutam dignitate praestantiq; superabit. Philosophiam enim illam animi culturam, vita lucem, ingenij domituram, ferocia, ut & ceterorum animi morborum expultricem, summam deniq; hominis (qua quidem in hac vita contingere ipsi potest) perfectionem esse, nemo qui non plane hospes in ea fuerit, negarit. Hoc vero, tam illustre atq; amabile licet, candela hujus lumen, solis ex adversa parte e thalamo suo (ut Prophetam vocabulo utar) procedentis fulgor mirum in modum diluit atq; dissipat: adeo, ut lucidissimarum stellarum, ante naturalis hujusce exortum solis, amabili specie passim in cali fornice scintillantium, exorto vero eo, paulatim ex oculis sese subducentium more, nullum penè indicium relinquat sui. Qui quidem sol aliud nihil quam ipsam aeterni DEI sapientiam, in sacrarum literarum tabulis (quantum quidem nostra intererat) expressum atq; revelatum nobis significat: in cujus sensibus intelligentiaq; vera investiganda, sana ac pie erudita Theologia occupatus est labor. Theologia inquam, si splendorem externum honorum ac praemiorum mundanorum amplitudinem excipias, omnium haud dubie facultatum & scientiarum (pace illorum dixerim) regina ac domina. Neq; enim quisquam scientiam eam hoc à me nomine appellari indignabitur, quae DEI nobis cognitionem tradit, hoc est, omnes omnis scientiae & sapientiae fontes atq; thesauros aperit: quae ad veram & sinceram, nullaq; egritudinis aut molestiae permistione contaminatam, nullis item exigui angustiq; temporis limitibus circumscriptam, sed caelestem ac sempiternam beatitudinem, nobis lucem praesert. Ceterae quidem ingenij humani sagacitate ac solertia inventae scientiae ut de natura sortè rerum, ortus, inter-

itusq; earum causis, de mirandis corporum celestium motibus, de regnorum publicarumq; rerum constitutionibus, earumq; gubernandiratione multa preclare ac divinè nos doceant: de DEO tamen, parternaq; illius erga humanum genus affectione, aut omnino silent, aut certè obscuram quandam duntaxat illius umbram, horrore magis & formidine mortalium animos concutientem, quàm amore DEI, salutariq; erga illum fiducia eos perfundentem, tradunt. In felicitatis vero humana descriptione, ultra hanc vitam non ascendunt, id est ejusmodi quandam felicitatem nobis vel tradunt, vel promittunt, qua sic cum caelesti illa in comparationem veniat, cujusvis rei potius, quàm felicitatis vocabulum mereri videatur. Multa me omittere brevitatis cogit, quæ, si me persequi res pateretur, aptissimè demonstratura essent, in sacris scripturis, Theologia sacra ad interpretandum propositis, rerum omnium cognitione dignarum florem, in cæteris vero humanitus inventis artibus & scientiis, meras earundem faces & σκιάλα, secundùm Apostolum, contineri. Neq; illorum vel errori vel ignavia fenestram hac aperire debet oratio, qui ita demum pulchrè sibi instituere rationes videntur, si omni philosophia & rationis sana, itemq; liberalium doctrinarum luce spretæ contemptaq; ceu equi & muli, contra expressum divinarum literarum interdictum, ac manibus simul & pedibus (quod aiunt) illotis, in sacratissima Theologia mysteria tractanda irruunt: qui sanè perinde faciunt, ac si lanam fortè, nullis antea vel lotionibus idoneis mundatam, vel cæteris illis ex artis fullonia præscripto infectionibus subactam preparatamq;, pretiosissimo statim purpura colore, irritò atq; inani labore, tingere conentur. Sicuti enim solis splendor, hominis ex opaco & profundo aliquo specu in locum aliquem solaribus radijs illustratum procedentis oculos,

oculos, tantum abest, ut quicquam juvet, ut potius occacet magis, visumque eorum obtundat: quippe qui crassa tantummodo affucti caligini, nec modico prius diei lumine perfuserant: ita profecto caelestis huius ignis, à vero Prometheo, Christo Domino, in terras allati majestas, hominem nulla prius humaniorum disciplinarum imbutum luce, crassis tamen atque impolitis eam sensibus suis comprehendere conantem obruet citius, quam quicquam vera ac solida sui intelligentia ipsi communicabit. Neg, enim si beatis Apostolis, earum, de quibus agimus, disciplinarum ferè expertibus, certa quasi extra ordinem, sacrorum mysteriorum concessa fuit scientia, idcirco nostro quoque a vo, cessante atque sublato jam, post illustratam satis Evangelicæ doctrina veritatem, miraculorum usu, nobis quoque idem privilegium debemus polliceri. Hoc enim qui ausit, non modo stolidam  $\kappa\alpha\kappa\omicron\zeta\eta\lambda\iota\alpha\upsilon$  suam prodat (non minus, quam si vel mortuos in vitam revocare, vel morbos humana ope incurabiles, verbo solo curare instituat) sed etiam plerorumque sanctissimorum Ecclesia patrum exemplo atque auctoritati adversetur, qui multo inimiciorem DEO & veritati superbam ignorantiam, quam piam & modestam artium laudandarum scientiam iudicarunt. Quorum vestigijs nos quoque, si sapimus, insistentes, ad eruendos divinatorum oraculorum sensus, artium disciplinarumque liberalium subsidia, veluti corticem quendam, ad tranandum divina sapientia abyssum nobis comparemus: donec confecto tandem veluti natationis huius nostra labore, in optatissimum caelestis beatitudinis portum delati, ipsum iusticia solem Christum Dominum avidissimis animorum nostrorum ulnis amplexi, sacratissimamque sapientia & divinitatis ipsius luce perfusi, eternorum premiorum gaudijs per omnes saeculorum aternitates perfruamur. D I X I.


IX,  
PANEGYRIS, ANNI  
1585.

SUB RECTORATU

D. M. IOHANNIS PRAETORII  
MATHEMATICI.

*Oratio prima classis, recitata*

*à*  
IOHANNE KAUFMANNO  
NORIBERGENSE.



*Q*uam turpis atq; exitiosa sit effrenata  
libidinis intemperantia, docet imago affabrè in  
nostris congiarijs expressa: in qua dua viperæ ve-  
nereo complexu implicata: & vero scæmella maris

caput



caput morsu pracidens, conspicitur: cum hoc Emblemate: Mentis venus improba clades. De viperis Plinius libro 10 capi. 62. Viperæ (inquit) mas caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Sed hac de re nunc quidem dicendi locus non est. Emblemâ potius nostrum aspiciamus & attendamus: quo edocemur, nihil flagitiosius, nilq̃ nocentius esse, quàm impuras fœdasq̃ corporum libidines: easq̃, idcirco non aliter ac pestiferum venenum cavendas ac fugiendas. Quemadmodum enim viperæ maris caput ore complexa, morsu truncat: sic venerea libido corpus labefactat, omneq̃ animi robur & lumen exinguit. Nam & omnes nervos, omnia membra, omnesq̃ sensus, & in primis cerebrum debilitat: facitq̃, ut subtilissimi spiritus, quibus vitalis vis maximè inest, exhalent ac dissipentur: & vero ingenium, atq̃ in primis memoriâ, eruditionis thesaurum graviter lædit & imminuit: ut non solum Physicorum consensus, sed ipsa quoq̃ experientia testatur. Verum non solum sanitatem affligit, & corporis atq̃ animi vires solvit atq̃ disperdit: sed etiam fortunas & facultates exhaurit & pessundat: & per sæpe homines libidinosos in extrema pericula, summasq̃ miseras & calamitates præcipitat. Quot passim adolescentes fœdissimis morbis, qui honestè ne nominari quidem possunt, misere consciuntur, fœdeq̃ intereunt? Quàm multi in ganeis & lustris in extrema vita pericula incidunt? & ferro sæpe numero subito è medio tolluntur? Quot amatores à lupa deglubuntur? Quot philtis in rabiem & exitium aguntur? ut interim taceam de re familiari, cujus naufragium multi non minus turpi amore, quàm luxu & alea faciunt. Ad hæc libidinis turpitudine etiam fama & existimationi nocet, eiq̃ sempiternas maculas inurit. Quæ enim

H infamia

infamia possit esse major, quod de decus gravius, quàm non tantum honestè laudatisq; viris, sed etiam ipsi DEO castissimo & sanctissimo numini invisum & odiosum esse? Tantum enim abest, ut DEVS approbet libidines, ut gravissimis etiam pœnis eas persequatur atq; coërceat. Apertissima enim illa sacram literarum vox est: Scottatores & adulteros DEVS iudicabit. Et certè, quæ libidinum sint præmia, omnium ætatum historia satis superq; testantur. Quam aliam ob causam mundus aquarum inundatione deletus: itemq; Sodoma & vicina urbes, sulphureo imbre calitus immisso, exusta fuerunt, quàm ob vagas tetrasq; libidines? Nonne duodecim principes (ut Numerorum 25. cap. legitur) ob incastas libidines suspensi, & circiter 24000. hominum casa & trucidata sunt? An non tota fere Beniaminea tribus (ut ex Iudicum historia constat) ob nefaria supra extirpata atq; deleta est? Quis vel mediocriter rerum humanarum peritus ignoret, sceleratas libidines mutationi Imperiorum, eversioni populorum, vastationi agrorum, conflagrationi civitatum, & infinitis privatorum cadibus occasionem prabuisset? Quid regnum Trojanum olim florentissimum evertit? libido. Quid Thebis exitio fuit? Oedipi libido. Quid Rempub. Romanam aliasq; complures & nationes & civitates turbavit, labefactavit, dissipavit? libido. Quenam etiam nunc plerorumq; malorum & calamitatum origo existit? Nefaria libido. Hænim mirum turpissimarum libidinum pœna sunt: hic incontinentia finis: hæc ultionis exempla: quæ certè tanta sunt, ut nos ab impuris atq; obscœnis cupiditatibus ad castitatis & pudicitie studium merito excitare atq; inflammare debeant. Verum fallaces, insidiosas, oculisq; jucundas turpium voluptatum tendiculas haud difficulter animadvertet & evitabit, quicumq; ab incunte

30

ineunte aetate verecundiae operam navavit, sequitur totum puris honestissimisque cogitationibus & sermonibus & actionibus dediderit. Nam ut Cicero ait: verecundia virtutum omnium custos est, dedecus fugiens laudemque maximè consequens. Quae cum ita sint, Auditores Optimi, constetque inter omnes, nihil nec tetrius, nec sadius, nec nocentius, nec DEO laudatissimisque viris odiosius esse, Libidinis intemperantia: contraque nil praeclearius, nil pulchrius, nil melius, nil DEO bonisque viris acceptius esse castitate & pudicitia: pro viribus sanè eniti ac elaborare debemus, ut illam tanquam capitalem pestem, omniumque flagitiorum lernam detestemur ac fugiamus: hanc autem veluti salutare remedium, omniumque virtutum limpidissimum fontem expetamus & sequamur: admoniti Emblemate nostro: Mentis venus improba clades,

D I X I.




H 2      O R A -

ORATIO SECUNDAE  
CLASSIS, RECITATA

2

GEORGIO LINDNER  
NORIBERGENSEI.



**I**N numismate nostro, Auditores Nobilissimi & Praestantissimi, Narcissi in lymphâ se contemplantis imago cernitur, cum adjuncto hoc Emblemate: Stultus amor nostri. Narcissum autem amnis Cephisi & Nympha Liriopes filium fuisse ex Ovidio liquet, qui lib. 3. Metamorphoseon ad hunc modum canit:

- Prima fide vocisq; ratæ tentamina sumpsit  
o Cærule Liriopæ; quam quondam flumine curvo  
Implicuit

Implicuit, clausæq; suis Cephisus in undis  
 Vix tulit, enixa est utero pulcherrima pleno  
 Infantem, Nymphæ jam tum qui posset amari:  
 Narcissumq; vocat, de quo consultus, an esset  
 Tempora maturæ visurus longa senectæ,  
 Fatidicus vates, si se non noverit, inquit.

*Fabulantur enim Poëta, Narcissum ad fontem purissimum labore venationis fatigatum venisse, suamq; imaginem in fonte inspexisse. Amore autem sui ipsius captum, cum nullam potiunda talis forma sibi spem reliquam intelligeret, sui ipsius desiderio contabuisse, ac deorum misericordiâ in florem sui nominis conversum fuisse. Qua fabulâ quid aliud veteres sapientes monere voluerunt, quàm ne nimis maturè, & antè tempus sapere incipiamus, necve nos aut nostra nimis amemus atq; admitemur? Quod quidem vitium Græci Φιλαυτις nominant, qui morbus, ut perniciosissimus est, ita in omni aetate odiosus, tum vero in adolescentia prorsus intolerabilis. Hinc enim fit, ut, quorum animos hæc pestis occupavit, ut ut alioquin ingenia sint, in medio tamen studiorum cursu corrumpantur, ac velut in herba enecentur, dum sibi jam nimis placentes tantâ ambitione turgent, ut nulli amplius præceptores, nulli propemodum libri, aut scriptores præ fastidio & contemptu tam emunctæ naris iudicio satisfaciant. Quod quidem malum, quanta damna Ecclesiis & rebus pub. afferat, experientia testatur: in primis si autoritate publica supercilium illud arrogans munitum fuerit & stabilitum. Refert Aelianus, Tigridem usq; adeo Φιλαυτις animal esse, ut ad naves usq; prosequatur venatores, eosq; cogat catulos interceptos abjicere. At longè atrocius & infestius nostri illi nasutuli pro suis erroribus depugnant,*



quos in prima aetate, spreto & abjecto fidelium praeceptorum  
 placito, imbiberunt: Hinc digladiationes illae omnibus tempori-  
 bus in omni artium & facultatum genere tantas dissensiones  
 pepererunt, ut quod de Cyclopiis olim dicebatur, ἔδ' εἰς οὐδ' ἐν  
 ἔδ' ἐν & ἀκέραι. Galeni certe testimonio pestis haec nunquam  
 in medicabilius est, quam in dogmatibus, quorum persuasione  
 semel sumus imbuti. Sic enim gravissimus ille scriptor:  
 οὕτως ἀρα, inquit, συσπότεριπτόν τι κακὸν ἐστὶν περὶ τὰς ἀίρεσας  
 φιλοτιμίας, καὶ δυσέκνιστον ἐν τοῖς μάλισα, καὶ ἄρα τὰς ἀπάσις  
 δυσιατώτερον. Hoc est: Adeo de sectis contentio malum est, ut  
 aegre excutiat, & cum primis inelubile, denique, quavis scabie  
 sit insanabilius. Quae quidem dissidia vel maxime alii scri-  
 bendi illud Cacoëthes, quo passim hodie scripturiente hoc seculo  
 laboratur, adeo, ut quicquid inter pocula, in itineribus, pene  
 in somnis fortè in mentem venit, continuo exeat, necesse sit,  
 propterea quod singula nostra cogitata aq. opinata pro singulis  
 haberi velimus oraculis. Longè alia ratio veterum fuit, qui  
 non nisi sobriè cogitata, & crastini diei iudicio limata, nonnumquam  
 in annum pressa, in publicum emisere. Sic Isocrates Panegy-  
 ricum suum integrum decennium componendo consumpsit.  
 Sic Plato dialogos suos ad octuagesimum usque, aetatis annum re-  
 cognovit & refinxit. Sic denique Demosthenes sculpta se di-  
 cturum potius, si posset, quam scripta professus est. Quid quod  
 infelices illi scioli plerumque in congressibus & colloquiis docto-  
 rum virorum arrogantiam suam indoctissime simul & stolidis-  
 sime produunt? Id quod Christophoro Cardinali Eboracensi, ut  
 indoctissimo, ita ambitiosissimo accidisse legimus. Is enim,  
 cum Reginaldo Polo Cardinale & Thoma Moro presentibus  
 aliquando versus Homericum adducere laboraret, quem me-  
 moriam sibi excidisse diceret: Morus ad Reginaldum conversus,

εἰ δὲν πρὸς ἕωος, inquit. Tum Christophorus: Et ipse hic est,  
 dixit: verum exciderat. Hinc igitur patet, quàm verè Plato  
 malum illud φιλαυτίας omnium malorum fontem esse dixerit,  
 tam nimirum olim detestabile, ut Aristotele teste, hæc φιλαυτία  
 probrosa appellatio, ceu proverbialis olim jaçtata fuerit, quan-  
 do homines sui supra modum amantes à multitudine malè audi-  
 diuisse scribit, quippe qui sado infamiq; cognomine vocati fue-  
 rini φιλαυτοι. Quod cum ita sit, commilitones optimi, viti-  
 um illud teterrimum, quod Emblemate nostro taxari intelligen-  
 mus, totis animis aversemur, neq; nobis ipsis nimium blandi-  
 entes, pennas, ut ajunt, ultra nidum extendamus: sed errata  
 nostra, sicubi inpingimus, nobis ostendi, eaq; redargui & cor-  
 rigi patiamur, ut sic assuefacti, tanto felicius aliquando DE I  
 gloriam propagare, Ecclesia & Reipublica salutem provehere,  
 patriæ commodis inservire, parentibus deniq; nostris & præ-  
 ceptoribus pro fideli institutione debitas gratias persolvere  
 possimus.


## D I X I.



ORATIO TERTIAE  
CLASSIS, RECITATA

à

IOHANNI IACOBO  
Pömer Noriberg.



**I**N nostro brabeo, *Audit: Humanissimi, ma-*  
*rus maturo flosculo admota, ac velut ad decerpendum para-*  
*ta cernitur. Estq; ei adjunctum Emblema: Tolle moras.*  
*Quo, ut puto, adolescentes admonentur, ut discendi occasio-*  
*nem & commoditatem avidè & alacriter amplectantur atq;*  
*usurpent. Nam si oblatam temerè negligent, aut prætermi-*  
*tent: ablatam frustra requirent, ac desiderabunt. Quemad-*  
*modum enim flosculus nisi maturè decerpatur, flaccescit ac de-*  
*cidit: sic opportunitas, nisi tempestive, veluti manu prehen-*  
*datur,*

datur, subito prætervolat, nec ulla unquam ratione revocari potest. Id quod etiam Poëta perquam ingeniosè nobis ob oculos constituerunt. Finxerunt enim Occasionem esse DEAM, rota volubili, motuq; incitatissimo huc illucq; sese versanti insistentem: pedibus alatum: anteriore capitis parte pilosam, ideòq; prehensu facilem: occipitio calviam, dextraq; manu in tergum reflexa novaculam tenentem: quam è vestigio comitetur puer, mæsto ac turbulento vultu: cui nomen μετάνοια. Varro μετάνελον vocat, eumq; Pœnitentiæ filium facit. Quo figmento, occasionis vis atq; natura egregiè effingitur & exprimitur. Nam rota volubilis, varietatem illius & inconstantiam: talaria, subitam conversionem, multa commoda secum auferentem significant. Capilli deinde anteriores, & apprehensuris sese quasi porrigentes, indicio sunt, datam occasionem nullà interposità morà arripiendam & retinendam esse: quippe quæ semel elapsa, deinceps nunquam capi possit: id quod calvitio quoq; indicatur. Novacula deniq; innuit, opportunitatem prætermissam, nec retrahi, nec tetardari posse: utpote quæ cultro suo acutissimo omnis generis moras & impedimenta resecat atq; dimoveat. Hæc pulcherrima imago adolescentibus semper ob oculos esse debet, ad colendum virtutis doctrinæq; studium, ne aliquando frustra ingemiscant, illudq; Poëta exoptent:

O mihi præteritos referat si Iupiter annos? (dire potest.

Nam id quidem fieri nequit, nec quæ præterijt hora re-  
 Multis molesta est pecuniæ jactura ipsorum culpâ amissæ: at  
 multo molestior atq; acerbior est temporis malè transacti recor-  
 datio. Itaq; prudenter Poëta:

Vtendum (inquit) est ætate, cito pede labitur ætas, “

Nec bona tam sequitur quàm bona prima fuit. “

Quod si agricola arationis & sationis tempus diligenter  
 observant, agrosq; suos multo labore ac sudore colunt, ut exopta  
 ta messe recreentur: quanto magis adolescentes florentissimam  
 aetatis suae partem attendere, beneq; collocare, & animum do-  
 ctrinâ, linguam eloquentiâ, vitam virtute excolere decet, ut  
 uberes aliquando & salutare industriae suae fructus demerere  
 atq; percipere queant? Hac namq; aetas ad virtutes literasq;  
 cognoscendas percipiendasq; in primis est idonea, tum propter  
 ingenij, animi & corporis vigorem: tum quia nullis ferè cu-  
 ris & sollicitudinibus (nisi quas ipsa sibi temeritate sua accersit)  
 distringitur, & nullis, aut certè exiguis negociis distinetur: nec  
 deniq; reliquis studiorum adjumentis (modo ipsa sibi ne desit)  
 facile deficitur. Quapropter commilitones suavissimi, etiam  
 atq; etiam providendum atq; annitendum nobis est, ut flosculos  
 adhuc vigentes carpamus, h. e. discendi occasionem divino mu-  
 nere nobis oblatam ne negligamus, sed obvius (quod ajunt) ul-  
 nis eam amplectamur: & omne tempus aetatis nostrae florentis,  
 omne ocium, omnemq; vitam ingenij in virtutibus sapientiaq;  
 studijs consumamus, dum aliquando illucescat illa dies, quo pa-  
 rentibus & patriae ornamento & emolumento esse possimus.

## D I X I.




ORA-



ORATIO <sup>34</sup> QVARTAE  
CLASSIS, RECITATA

ab

ERNESTO à MVNSTER,



**C**um Sylla certamen sacrum equestre puero-  
rum, quam Trojam nominant, esset editurus, contractis  
nobilibus pueris duos eorū duces designavit, quorū pueri alterū  
matris causa acceperunt (nam Metella erat uxoris Sylla filius)  
alterū non admisērūt, quamvis Pompeij fratris filius esset, Sex-  
tus nomine, neq; exercere se sub eo, neq; sequi eū sustinuerunt.  
Percunēt ante Sylla, quē vellent: omnes alta voce Catonem po-  
stulauerunt, submittensq; se ipse Sextus, Catoni id decus, ut pra-  
stantiori, concessit. Ita nimirum Mag. D. Rector, ipse quoq;  
Catonem aliquem ex meis contribulibus vellem elegisses, qui

I 2

provinciam

provinciam hanc majori cum dexteritate & industria, quam ego minimè omnium ad hanc rem idoneus, in hac nobilissimorum & Amplissimorum virorum coronâ sustinere potuisset. Sic enim accidisset, ut quia in hisce solennitatibus ad gloriam splendoremq; omnia revocanda sunt, & huic festivitati major amplitudo & dignitas conciliata fuisset, & auditores jucundiorum ex hoc nostro quasi literario certamine voluptatem percipissent. Sed quia atas mea non fert, ut Magnificentia tua intempestivè reluctando negotium ulterius faceffam, spartam hanc lubens in me recipio: quam si, ut par fuerit, ornare non potero, spero tamen fore ut ipsa brevitate oratiunculam meam præstantissime huic corona sim commendaturus.

Intuenti autem mihi Brabeum nostrum, Navis in eo expressa occurrit cum inscriptione: Ars regula vita. Quo quid tacitè significetur, ex præceptoribus meis aliquando intellexisse videor. Ut enim navis tempestatum procellis fluctuumq; agitatione jaçtata, naufragio proxima est, nisi Navarchi cujusdam periti arte regatur inq; tranquillum portum subducatur: Sic vita nostra tot tantisq; difficultatibus objecta, incerta hinc inde fluctuat, si non Ingenium literarum studijs excultum viam nobis & semitam quâ sit eundum, præmonstret. Sunt enim studia in utraq; fortuna, plane, quod Græco proverbio dicitur, Myrtili clypeus, qui cum esset ingentis animi miles, cumq; ad maritimam quandam expeditionem navigasset, submersa fortè navi, clypeo suo innixus in tutum portum delatus est: Sic literarum studia, nusquam non opportuna, nusquam non jucunda sunt, quib. non modo ab adversariorum telis & hominum injurijs tuti sumus, & tanquam opposito clypeo munimur, sed & eorum ministerio usq; è medijs vite hujus fluctibus ad tranquillum ocij portum recipimur. Plato vitam nostram

παρεπίδημιαν τινα nominat, & peregrinationem, in qua, ut Pindarus ait, nisi DEVS initium monstraverit, ἐν εὐθείᾳ δὲ κέλευθῳ εὐρεῖν το προκείμενον, hoc est, per difficilis est semita ad inveniendum id, quod est propositum. Quemadmodum enim qui rectam viam nescit, ubi, ut sit, in plures una diffinditur, haeret auxius, nec singulas audet eligere, nec universas probare: Sic cui non est veri stabile iudicium, quod bonis artibus acquiritur, per omnes atatis gradus dubius pendet, nec quo se vertat, quid approbet, quid ve repudiet, certo secum constituere potest. Verè igitur, quod Cicero inquit, studia adolescentiam alunt: senectutem oblectant: secundas res ornant: adversis perfugium ac solatium praebent: delectant domi: non impediunt foris: pernoctant nobiscum: peregrinantur: rusticantur. Quamobrem, Commilitones optimi, tota mente in hanc curam & cogitationem incumbamus, ut quantum alij tribuunt intempestivis convivij, quantum alea, quantum pile: tantum nos ad studia continuanda sumamus. Sic enim fiet, ut inter periculosissimas vitæ hujus agitationes & incommoda fluctuantes, naufragium tamen evitemus, tandemq; ad exoptatum studiorum nostrorum portum, magna cum parentum & propinquorum voluptate quàm felicissime deseramur.

D I X I.



x.  
PANEGYRIS, ANNI  
1586.


SUB RECTORATU

D. D. EDONIS HILDERICI  
THEOLOGI.

*Oratio prima classis, recitata*

à

IOHANNE CHRISTOPHORO  
à Tauffkirchen.



*Apientissimus philosophus Plato,  
cum ejus amicus Antisthenes vir doctissimus in  
schola aliquando orationem justo longiorem habuif-  
set, Ignoras, ei dixit, orationis mensuram & mo-  
dum esse.*

dum esse, non eum, qui dicit, sed eos, qui audiunt? Voluit nimirum innuere, oratores ad auditores potius, quàm ad se ipsos respicere debere. Cum itaq; & ego sciam, omnibus sapientibus orationis prolixitatem molestam esse, utar quanta possum brevitate, nec abutar patientiâ & humanitate summorum virorû, qui hanc scholasticam solemnitatem suâ presentiam ornare voluerunt. Itaq; ad rem ipsam mox accedens, Magnifici Domini Rectoris mandato reverenter obtemperabo.

Symbolum igitur nostrum est tale: Noctua conspicitur insidens coronæ. Intra coronam conspicitur freni imago. His adduntur ista verba: Vigilij & moderatione. Cum autem avis Noctua, quàm Græci  $\gamma\lambda\alpha\upsilon\alpha$  vocant, nocturno tempore vigilet, canat, volet & venetur, & quo majores sunt tenebra noctis, hoc clarius videat, atq; eadem avis sit sacra sapientissima Dea Minerva, arbitror ab Ampliis, Dominis Scholarchis hanc avem nobis, ut Symbolum vigiliatum proponi. Præterea, cum apud veteres, laudabilium certaminum victores usitatum fuerit coronari, procul dubio corona argentea nostro nummo insculpta, symbolum est cujusdam victoriæ: frenum vero, quod intra coronam conspicitur, imago est moderationis, cum indomiti equi freno regantur, atq; in gyrum ducantur. Arbitror igitur per hæc symbola significari, ad omnia bona comparanda & conservanda, atq; ad omnia mala cavenda ac declinanda, vigilijs & moderatione nobis omnino utendum esse. Nulla enim est vita humana pars, in qua hujus commonefactionis necessarius usus non conspiciatur. Sapientissimus Rex Salomon Proverb. 6. & 24. affirmat, in Oeconomia paupertatem comitem esse somnolentiæ, cum inquit: Vque quò piger jacebis? Quando surges de somno tuo? paucillum



*ſomniorum, pauxillum dormitationum, pauxillum complica-*  
*tionis manuum ad dormiendum. Et veniet quaſi viator ege-*  
*ſtas tua, & penuria tua ſicut vir armatus. Hac Salomon: qui-*  
*buis docet patres familias vigilantes eſſe debere, ſi rem familia-*  
*rem augere, paupertatem vero declinare cupiant. Sed quia*  
*Noctua dicitur ſacra Sapientiae antiſtiti Minervae, alijs homi-*  
*num generibus omiſſis, breviter attingam in praesentia eas*  
*commonefactiones, quae ad nos qui in bonarum artium & ſa-*  
*pientiae ſtudijs verſamur, proprie pertinent. Certiſſimum eſt,*  
*ſine magnis vigilijs, ſine aſſidujs laboribus, ſine ſudoribus atq;*  
*exercitationibus nullas artes liberales, nullasq; virtutes mo-*  
*rales comparari, & conſervari poſſe. Quantis vigilijs ſum-*  
*mo Oratori Demoſtheni ſua conſtitit Eloquentia? Somni fuerat,*  
*parcusq; Lyai, ut de Orpheo canit Caſſius Parmenſis. Quan-*  
*tae fuerunt vigiliae philoſophi Cleanthis & Ariſtophanis Gram-*  
*matici? Nam ſi quid valde eſt elaboratum, id proverbialiter*  
*ad lucernam Cleanthis & Ariſtophanis dicitur factum eſſe. Et*  
*Demoſthenis Enthymemata dicebantur ἐμυχνίων ὄζειν, id eſt,*  
*lucernam redolere, propter lucubrations in ijs excogitandis*  
*conſumptas. Vtiliter igitur ordo ſcholaeſticus per certas ima-*  
*gines in oculos incurrentes monetur, ut artium bonarum co-*  
*gnitionem, & virtutum poſſeſſionem per maximam vigilan-*  
*tiam ſibi comparandam, atq; aſſidua exercitatione conſervan-*  
*dam ſtatuat, ſicut & veterum & recentium quorundam bono-*  
*rum autorum dicta monent. Apud Ariſtophanem in Ne-*  
*bulis Socrates Strepsiaden ad philoſophiae ſtudium adhortans ait:*  
*ὑπνος δ' ἀπέσω γλυκύθυμῳ & ὀμμάτων: Id eſt: Dulcis ſomnus*  
*abſit ab oculis.*

*Ac noti ſunt pueris hi vulgares verſiculi:*

Non

Non jacet in molli veneranda scientia lecto,  
Ipsa sed assiduo parta labore venit.

Ac Siracides cap. 6. adolescentibus præcipit, ut mane ad præceptores audiendos accedant, cum inquit: Εὐάνιδης ἀνδρα συνετόν, ὄρθριζε πρὸς αὐτόν, καὶ βαθυμὲς τῶν θυρῶν αὐτοῦ ἐκτιβεῖτω ὁ πῆρ σθ, Id est, si videris virum sapientem, mane accedas ad eum, & gradus ostiorum ejus conterat pes tuus. Dixi breviter de vigilijs, quas scholasticus ordo perferre jubetur; dicam brevius de Moderatione. Veteris Poëta Lini est versus non indignus memoriâ: ἡ ἐπιθυμία ἡνιοχῆ μαργοῖσι χαλivois, id est: Concupiscentia aurigatur laxis habenis. Cum concupiscentia agit aurigam, non ratio, tum laxæ habenæ & freni conceduntur cupiditatibus & indomitis affectibus. Mone-mur igitur imagine freni, ut freno rationis appetitus nostros regamus & moderemur, ut ipse Dominus Gen. 4. ad Cain inquit: Appetitus tuus sit sub te, & tu domineris ei. Freno igitur rationis moderandus est appetitus cibi & potus, cum CHRISTVS dicat: Cavete ne corda vestra graventur crapulâ & ebrietate. Freno rationis moderandus summus, sicut Paulus inquit 1. Theß. 5. Vigilemus & sobrij simus. Freno rationis & cogitatione divini judicij moderandæ libidines. Levit: 18. Omnis anima que fecerit has abominationes, eradicabitur. Et Socrates inquit: Δὲ ὡς περ σειρήνας τὰς ἡδονὰς παρελθὲν τὸν σωεὺς οὐτὰ τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν ὡς περ πατρίδα. Id est, voluptates tanquam Sirenes effugiendæ sunt ei, qui ad virtutis velut patriæ conspectum contendit. Nisi enim hos & similes malos affectus adolescentes ratione cohercere & moderari discant, nunquam ad solida eruditionis, & veræ virtutis laudem pervenient: nunquam earundem optatam coronam ad-  
K pifcentur.

*piscentur. Ut iliter igitur in proposito Symbolo adolescentes bonarum artium studiosi monentur, ut moderatione cum in affectibus regendis, tum in omnibus alijs vita partibus utantur, memores dicti Aristotelis: Ανδρείότερον εἶναι μοι δοκεῖ ὁ τῶν ἐπιθυμιῶν ἢ τῶν πολεμίων κρατῶν. Καὶ γὰρ χαλεπώτατον ἐστὶ τὸ ἐαυτὸν νικῆσαι. Quod reliquum est, pro his & similibus commonefactionibus, quas Amplissimi Domini Scholarchæ nobis adolescentibus proponunt, eorum Amplitudini immortales agimus gratias. Nos harum commonefactionum erimus memores, usq̄, quantum erit in nobis, per totam vitam, reverenter obtemperare conabimur.*

D I X I.




ORA-

38

ORATIO SECUNDAE  
CLASSIS, RECITATA

IOHANNES IACOBO  
PÖMER NORIBERG.



**I**n hoc numismate, quod Amplissimi Domini Scholarchae Academiae Altorphianae discipulis secundae classis praemij loco dederunt, conspicitur figura alitis, quae uni pedi insistit, & altero erecto lapillum sustinet. Omnino statuo hanc imaginem alitis de Gruae intelligendam esse. Nam Plinius libro. cap. 23. de gruibus expressè sic inquit: Excubias habens nocturnis temporibus, lapillū pede sustinentes, qui laxatus somno, & decidens indiligentiam coarguat. Ex quo dicto intelligimus, grues hoc labore sustinendi lapillum occupatas facilius

K 2      pellere

pellere somnum, & cum somno victa obdormiscunt, lapsu strepituq; lapilli iterum à somno excitari ad vigilandum. Quam diligentiam & vigilantiam eas natura docuit. Vnde in numismate huic imagini alitis hæc verba adduntur: Officium natura docet. Etsi autem hoc symbolum gruis utile est omnibus hominibus, in quocunq; vita genere versentur, ut sese de diligentia & vigilantia & moderando somno in omnibus operibus sui officij admoneant: tamen nunc tantum breviter ostendam, quàm utile sit nobis scholasticis, ut hoc symbolum gruis aspiciamus, & nos de imitanda gruum vigilantia subindè admoneamus. Ut enim hoc faciamus, id per donationem hujus præmij, Amplissimi Domini Scholarchæ non obscure nobis præcipere videntur. Quorum præcepto, ut modestius pareamus, & ut præmium eorum tanto sit nobis gratius, duo in hac orationicula præstare conabor. Primum recitabo pauca de natura gruum, ut melius intelligamus quænam ea sint, quæ eas natura docet. Deinde afferam etiam pauca exempla magnorum virorum, qui sibi admirabilem doctrinæ & virtutis copiam, per eximiam vigilantiam & singularem moderationem somni compararunt. Hæc dum breviter præsto, amanter & reverenter peto, ut benigne audiar.

Hæc igitur sunt, quæ de natura earum breviter affero: Primum grues dicuntur valde amantes societatis. Non enim separatim aut seorsim, sed simul in magno numero & agmine volant gregatim & pascuntur. Deinde accuratè etiam inter se quendam politicum ordinem observant. Nam cum de profectione suscipienda quodam modo inter se consenserunt, eligunt ducem, quem in volando omnes sequantur. Tum & hoc est signum prudentiæ earum, quod aliè volent, ut tanto longius possint prospicere & pericula declinare. Conspicitur præterea  
in ijs



in ijs non parvus amor cuiusdam justitiæ & æquitatis. Cum enim illæ grues, quæ in volando sequuntur, suam colla & capita in tergo prævolantium reponant, atq; ita in volando non nihil adjuventur, aut releventur: tandem etiam dux, diu prævolando defatigatus, revolat, ut suum collum & caput in tergo alicujus prævolantis reponat: & quæ ducem proximè sequitur, ea duci succedit, ut ejus onus, seu gravamen aliquandiu ferat. Idem onus subeunt etiam ordine ceteræ grues, si id diuturnitas volatus earum requirat. Cumq; grex earum sine acclamatione & voce sonora in volando contineri non possit, servant ipsæ hæc in parte etiam vices, ne omnes simul acclamare necesse habeant. Nec prætereunda est in hac brevi commemoratione fortitudo & virtus quadam bellica gruuum. Multum enim negocij facessunt Pygmæis, eosq; in quadam India regione infestant, qui sine bello eas ex ea regione salubri & semper vernante depellere non possunt. Qua de re legatur Plinius lib. 7. cap. 2. Postremo grues inter se hoc quoq; gravamen per vices sustinent, ut aliæ nocturnis temporibus vigilent, uni pedi insistentes, altero lapillum sustinentes: aliæ vero dormiant, capite sub alam condito, alternis pedibus insistentes. Ex his quæ breviter recitavi de natura gruuum, facile potest colligi, in illis esse multarum virtutum simulacra. Sed nunc satis est, si diligentiam & vigilantiam earum studiosè consideremus, & sedulo imitari conemur.

Nunc, quod secundo loco promisi, recitabo pauca exempla magnorum virorum, qui per lucubrationes atq; exercitationes nocturnas maximam doctrinæ, sapientiæ & virtutis laudem sunt consecuti. Demosthenes summus orator, quantæ vigilantia, somniq; moderatione ad Eloquentia laudem compa-

*randam sit usus, inde facile colligitur, quod ejus Enthymemata dicta sint olere lucernam, & quod ipse dictus sit plus olei, quam vini consumsisse. Fuit enim Demosthenes abstemius, & ὁ δὲ ποῶτος, qui etiam ad lucernulam illam suam in extrema sua senectâ exercebatur. Deinde quanta diligentia & vigilantia fuerit Aristophanis Grammatici in persequendis studijs suis, etiam per nocturna tempora, ostendit proverbium: Aristophanis lucerna. Idem colligitur de Philosopho Cleanthe ex proverbio: Cleanthis lucerna. Nam qui horum virorum lucubrations imitantur, hi proverbialiter ad Aristophanis & Cleanthis lucernam lucubrare dicuntur. Postremo legimus fictilem lucernulam Epicteti philosophi post mortem ejusdem, maximo precio, videlicet tribus Drachmarū millibus venditā fuisse. Unde colligimus hunc virum ob acerrima studia nocturna, ad tantam doctrinā & sapientiā opinionem & admirationem apud omnes pervenisse, ut qui vel lucernam ejus possideret, beatus & tanti Philosophi imitator futurus crederetur. Plura exempla diligentia & vigilantia magnorum virorum brevitatis causa non affero. Hæc quæ modo attuli Symbolo gruis adjungamus, eaq; ad solidam eruditionem nobis comparandam qua possumus imitatione, exprimamus, præsertim cum sciamus, non tantum studiosis literarum seu scholasticis, sed etiam omnibus alijs hominibus, quocumq; in vitæ genere versentur, sive magno, sive parvo, hanc vigilantiam & somni moderationem necessariam esse. Nam qui principes & gubernatores Republicæ, qui belli duces, & milites somno dediti, suum officium laudabiliter facere possunt? Homerus inquit: ἔχρη πᾶννύχιοι εὐδεν βασιλοφόνον ἄνδρα, ᾧ λαοὶ τ' ἐπιτετραφῆται, καὶ τόσσα μέμηλε, Id est, non oportet per totam noctem dormire virum Republicæ consulentem*

*fulentem, cui tot populi & tanta negotia concredita sunt. Et Plato in Principe maximè requirit vigilantiam, cum in quodam legum libro sic dicat, καθύπνω τις εὐδεία εὐδένει & ἄξιον, Id est: Dormiens cuim nullus, (scilicet princeps) est aliquo precio dignus. Quod quidem egregiè observavit Alexander Magnus, qui etiam noctes ad officia tripartita dividebat: quietis, Reipub. & Musarum. Solebat autem ne somno diutius fortè indulgeret, anca concha supposita, brachio extra cubile protentopilam tenere argenteam, ut cum nervorum rigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus somnum abrumperet. Ut de ipso Ammianus Marcellinus testatur lib. 16. Vbi Iulianum Imperatorem cum eodem conferens, ait etiam multò fortius idem praestitisse, nam absq; instrumento talipila & pelvis, quoties voluerit evigilasse: & nocte dimidiata semper exurgentem Mercurio occulte supplicasse, ut à quo motum mentis fuscitari persuasum habuerit. Quanto nos ad veri DEI cultum & venerationem aequius est, mane stratis nostris excitari, cum ille Apostata tam vigilans fuerit in falso & commentitio suo numine adorando? Quam quidem ad rem religiosissimus & sapientissimus Rex David suo exemplo nobis praeivit: qui ut multa in Psalmis ejus loca ostendunt, de nocte ad divinas laudes decantandas consurgere & hymnis suis aurora exortum praevenire solebat. Sic de Friderico Aenobarbo testantur historici, hunc Imperatorem in more habuisse*

primo lucis in ortu  
 Ad matutinos divinæ laudis honores  
 Strenua neglecto protollere membra cubili,  
 Omnibus in castris pingues efflantibus auras  
 Et matutinæ præsis torpore quietis.

K 4 Sic


Sic enim scribit ejus præco laudum Guntherus, poëta sue  
 atatis princeps, lib. 9 Ligurini. Deinde nec agricola nec opifi-  
 ces, nec mercatores, nec ulli Oeconomii somno nimium indul-  
 gentes paupertatem effugere possunt, multo minus divites fieri.  
 Ideo Salomon Proverbiorum 20. sapienter inquit: Noli dilige-  
 re somnum, ne te egestas opprimat: Aperi oculos & saturaberis  
 panibus. Hæc sunt, quæ pro mei ingenii tenuitate ad explican-  
 dum propositum symbolum de excubijs gruum afferre potui,  
 quæ ut omnes quotquot adsint boni consulant, ex animo precor.

D I X I,

ORATIO TERTIÆ  
 CLASSIS, RECITATA

À

DANIELE À CORALECK BOHEMO.



Sunt

*S*unt in tertia classe inter meos jucundissimos commilitones non pauci adolescentes, qui me & ingenij acumine, & eruditionis copiâ, & memoria felicitate, & orationis suavitate longè superant, quibus hæ dicendi partes rectius quàm mihi à præceptoribus potuissent commendari. Sed quia Magnifico Reçtori, & reliquis Dominis præceptoribus ita visum est, ut ego in hac corona eruditissimorum virorum, atq; ingeniosissimorum adolescentum audirer, eorum paterno mandato modeste parebo, sive ab eis iudicio hic honor mihi sit delatus, sive benevolentia, sive quod magis credo, favore quodam patriæ meæ dulcissimæ Bohemiæ. Sed Exordij prolixitate huic splendidissimo auditorio sim molestus, ad explicationem Symboli propositi propero. Aristoteles, Plinius, aliq; non contemnendi autores scribunt, Mustelam, quæ Græcis est γάλα, herbam rutam comedere, antequam pugnam ineat cum serpente naturali suo hoste, eumq; victum & occisum devoret. Odorem enim ruta esse infestum serpenti, & simul esse remedium ad depellendum venenum devorati serpentis, atq; ita mustelam non temerè ad periculosum certamen accedere, sed se ad id prius magnâ curâ præparare. Genus igitur animalis, cujus imaginem insculptam habet hoc argenteum præmium, quo ab Ampliis. Dominis Scholarchis discipuli tertiæ classis honorantur ac donantur, puto esse mustelam: id vero quod hoc animal ore tenet ac comedit, esse ramulum ruta, præsertim cum his imaginibus hæc verba ascribantur, Amat victoriæ curam. Hujus igitur numismatis & imaginibus & verbis Amplissimi Domini Scholarchæ pro sua summa prudentia, totum cætum scholasticum monere volunt, sine curâ & vigiliantia, sine laboribus & sudoribus,



ribus, sine molestijs & difficultatibus nemini mortalium gloriosam victoriam contingere. Nam etsi DEVS principalis causa est omnium victoriarum, ut Proverbiorum 21. dicitur: Equus paratur ad diem belli, sed à Domino est victoria: tamen idem ad victoriam comparandam etiam vult humanam diligentiam accedere, ut antiqui Poëta Æschyli dictum testatur:

ἀλλ' ὅταν

Σπῆυδῃ τις αὐτὸς, καὶ θεὸς συνάπτειται.

Sed cum aliquis ipse festinaverit, etiam DEVS simul manus admovent. Eiusdem poëta est & hoc:

Φιλᾷ δὲ τῷ κἀμνοπι σὺ σπῆυδ εἰν θεῷ.

Solet autem unà cum eo, qui laborat, festinare DEVS. Vt alia exempla quæ sunt innumerabilia omittam, quantis vigilijs, quantis laboribus & periculis victorias adeptus est Alexander Magnus? de quo Q. Curtius lib. 4. sic inquit: Sed nec somnum capere, nec quietem pati poterat. Modo è jugo montis aciem in dextrum Persarum cornu dimittere agitabat, modo recta fronte concurrere hosti, interdum hesitare, an potius laevum torqueret agmen. Ibidem ipse Alexander ad ducem suum Parmenionem inquit: Credis ne me prius somnum capere posse quàm exonerarim animum solitudine quæ quietem morabatur? Sed omisis his victorijs bellicis, & cruentis, quæ nullis victorijs sine summa cura contingunt, dicamus breviter de victorijs philosophicis seu scholasticis. Nam & nostrum genus vitæ militiæ est quadam, in qua nemo sine cura, sine vigilantia sine laboribus, victoriam adipiscetur. Occupant mentes humanas maxima tenebra, innumerabilesq; errores illam tanquam hostes obsident. Hæ ingentes tenebra, hæ errore e, jici non possunt, neq; notitia & scientia introduci sine maximis vigilijs &

gilijs & studijs. Quis enim unquam unam, vel de minoribus disciplinis, sine labore didicit? Quis sine acerrimo studio è sermone hostes Barbarissimos, & Solacissimos ejicit, sibiq; proprietatem & puritatem orationis comparat? Quis sine maxima exercitatione tenebras àouMoÿsas ex animo suo expellit, in eoq; lumen rectè ratiocinandi accendit? Quis sine summis laboribus abjecta puerili infantia, vel mediocrem discendi facultatem potest comparare? Iam ut reliquas liberales artes taceam, quarum finis præcipuus est actio, quantum malarum inclinationum, cupiditatum & vitiorum heret in animis humanis? Quàm multi pravi affectus occupant humana corda? Quis verum odium horum multiplicium vitiorum, & ardentem amorem contrariarum virtutum induere sine perpetua vigilantia potest? Certè seipsum vincere longè difficilius est, quàm superare externos hostes. Nam Alexander Magnus armis quàm plurimas gentes domare potuit: hostes domesticos, qui animum ejus possidebant, vincere non potuit, sed ab eis victus est turpissimè, eorumq; mancipium fuit miserrimum. Intemperantia enim, libidinibus, ira & superbia, inhonestissimè succubuit. Quare Proverbiorum capite 16. sapientissimus Rex Salomon rectè inquit: Melior est tardus ad iram, quàm fortis, & qui dominatur spiritui, quàm qui capit civitatem. Quod dictum etiam ad alias pravas animorum cupiditates transferri potest.

Quoties igitur jucundissimi commilitones, hoc argenteum numisma in manus sumemus, in eoq; expressam imaginem mustela cum ruta aspiciemus, & verba addita Amat victoria curam, legemus: toties ab hujus donativi auctoribus, viris sapientissimis, nos moneri cogitemus, ut nos omni genere philosophicorum armorum præparemus, atq; instruamus


*ad sustinenda quotidiana certamina cum densissimis mentium tenebris, cum indomitis animorum cupiditatibus, cum pravis cordium affectibus, ut cum his domesticis hostibus fortiter pugnantes superiores evadamus, & optatam victoriam cum laude obtineamus.*

D I X I.

O R A T I O   Q V A R T A E  
C L A S S I S,   R E C I T A T A

à

I O H A N N E   C H R I S T O P H O R O  
H E R D E S I A N O   N O R I B E R G E N S I.



**N**Os adolescentes qui ex *Quarta* classe, ad  
superiorem transferimur, spectamus cum voluptate atq;  
admiratione imagines cervi & serpentis, insculptas argenteo  
numis-

numismati, quod nobis ad puerilia nostra studia excitanda Ampliſſ. Domini Scholarchæ liberaliter donarunt. Imaginibus legimus hæc verba addita: Nullis fraus tuta latebris Non eſt dubium, quin graviſſimam de moribus admonitionem contineant hæc imagines, & iſſum hemiſtichium, Nullis fraus tuta latebris. De hoc igitur ſymbolo juffu Mag. Domini Reſtoris in hoc ſplendiſſimo atq; ornaſſimo conſeſſu ſummorum vi-  
rorum, præceptorum, hoſpitem & commilitonum, pauca afferam, & quidem vulgaria. Nam etas puerilis, ingenium inexercitatum, infirma memoria, mihi obſtant, quo minus multa, & eruditorum auribus digna affere queam.

Cervus, ſecundum Plinium, animal eſt valdè ſimplex, & omnium rerum miraculo ſtupens, in tantum, ut equo aut bucula propius accedente, hominem juxta venantem non cernat: aut ſi cernit, arcum ipſum ſagittasq; miretur, atq; in hac admiratione rerum oblatarum, propriam ſalutem quodammodo negligat. Habet tamen idem animal in hac ſimplicitate ſuam quantum prudentiam. Nam ita aſſueſieri poteſt, ut ſermonem hominum intelligat, ut in hiſtorijs proditur, & ſuorum morborum & periculorum novit & quærit idonea remedia & auxilia.


Contra vero ſerpens animal eſt callidiſſimum, ſicut notum eſt ex hiſtoria lapſus primorum parentũ. Et CHRISTVS ipſe ſerpentem calliditatem celebrat, cum inquit: Eſtote ſimplices ut columba, & callidi, ut ſerpentes. Iam inter cervum feram ſimplicem, & ſerpentem animal callidiſſimum, nativum & implacabile eſt quoddam odium, ſicut ex diametro ſecum pugnant ſimplicitas & calliditas, ſalubritas & venenum. Fit ex hoc nativo odio, ut Cervus, cum id naturali inſtinctu opus eſſe ſentit, ſerpentem magnâ curâ venetur. Nam cum cervus

sentit vel obscuracionem visus, vel abundantiam humorum, vel infirmitatem quandam ex senectute, vel morsum vermium, qui in ventre suo nascuntur, & ad fauces ascendunt: intelligit se ex his malis liberari posse esu venenati serpentis. Itaq; non quiescit sed circumcurrit, querens serpentem. Cujus vestigia cum videt, per ea letus ducitur ad latebras serpentis: ad quas cum pervenit, spiritunarium ex cubili suo extrahit serpentem, eumq; frustra secum pugnantem dilacerat ac devorat, esuq; ejus suis malis medetur:

Atq; ita Simplicitas fit victrix Calliditatis,  
 Naturaq; venenatae natura salubris.

Ex hoc igitur mutuo cervorum & serpentum odio & pugna procul dubio sumit a sunt imagines namismati nostro impressae, quas explicant verba addita: Nullis fraustuta latebris. Quo dicto monemur, ut abineunte atate nos ad simplicem veritatem assuefaciamus, ab omni fraude proximo noxia abstinemus, cum certo sciamus, DEVM & videre fraudem, etiamsi infinitis latebris occultetur, & eam in lucem protractam tandem severe punire: juxta dicta: Cernit DEVS omnia vindex. Et Psal: 57. Frig, est DEVS, judicans homines in terra. Et Psal. 61. Tu reddis unicuiq; juxta opera sua.

D I X I.



PANE-



XI.

PANEGYRIS, ANNI

1587.


SVB RECTORATV

IOHANNIS BVSEREIT.

I. V. D.

*Oratio primæ classis, recitata*

à

MICHAELE PICCARTO  
NORIBERG.

*Vanquam Q̄ mihi rem tam arduam atq; difficilem Rector Magnifice mandaveris, ut ob ingenij doctrinaq; mea tenuitatem satis commodè à me explicari non queat: tamen ne au-*

L +

toritati

*soritati tuæ refragari videar: quid de illa sentiam, quàm brevissimè licebit dicere, conabor. Rogo Auditores, ut, qui cum autoritate adsunt, bonâ cum veniâ etiam me audiant: qui verò condiscipuli mei sunt, eam mihi hoc tempore benevolentiam præstent- quam ijs qui ante me dixerunt, alijs temporibus præsteterunt: quamq; à me sibi exhiberi volent, cum in hunc locum ad dicendum aliquando pervenerint. In brabeo ad explicandum mihi tributo, expressa est imago serpentis, caudam ori sic inserentis ut circum representet. Huic adjuncta est corona varijs floribus & fructibus exornata. In ejus ambitu inscriptum est hoc Emblemata: In se contexta recurrit. Quod attinet ad serpentem: Hieroglyphici ejus imagine annum pingere solebant. Testis est Horapollon lib. 1. de sacris Ægyptiorum literis. Sol enim qui anni mensura est, à primo puncto Arietis per reliqua signa progressus, ad idem punctum redit: ac priore anno confecto novum inchoat. Hinc apud Latinos annus (ut Grammatici docent) quasi annulus dictus est: quod in se redeat. Vnde & illud:*

*Quiq; in se sua per vestigia volvitur annus. Ab Homero περιτλώμενος ἐνικυτός appellatur, quasi ἰὼν ἐς ἑαυτὸν. Ia est, revolutis vicibus in se incurrens. Deinde hanc causam addunt, quod quem admodum anguis tacitè proserpit absq; strepitu: ita annus quoq; tacitè, & nobis vix animadvertentibus, præterlabitur. Vnde illud Poëta:*

*Tempora labuntur tacitisq; senescimus annis.*

*Item*

*Labitur occultè fallitq; volubilis ætas,*

*Et nihil est annis velocius. Consimili ratione, corona quoq; intextisq; flosculi, fruges fructusq; annum ejusq; partes,*  
*continua*

continua quadam ac perpetua successione copulatas, notat atq;  
designat. Nam ut Poëta canit :

Ver placidum vario necit de flore coronas,  
Spicea ferta gerit calidissima solibus æstas,  
Temporaq; autumni cingunt tua Bacche racemis,  
Tristis hiems montes niveo velamine vestit.

Verum hoc Emblemata non ad annum duntaxat, quem Sol  
metitur, verum etiam ad res quasvis corporatas, scitè referrè  
& accommodari potest. Etenim si oculis sublatis mundum  
athereum contempleris, non Solis tantum, sed reliquarum et-  
iam stellarum atq; adeo totius cœli, certas statasq; conversio-  
nes animadvertes : atq; idcirco, ut Solaris, sic Lunaris, Mer-  
curialis, Veneris, Martius, Dialis, Saturnius, stelliferi orbis  
annus, non ineptè appellari possit. Si deinde oculis dejectis,  
hunc telluris globum contueamur : nonne ubiq; miras vicissi-  
tudines, commutationesq; notare ac deprehendere licet ? nihil  
fidum, firmum ac stabile permanet : omnia sunt mutationibus  
obnoxia. Et qualia Plato in Timæo scripsit, semper fieri esse  
nunquam. Habet hoc materia illa, unde res omnes constant,  
quam veluti magnam rerum matrem, celestis vis ad conti-  
nuos partus excitat. Inde quatuor illa corporum elementa  
sursum ac deorsum comitant, & constanti vicissitudine ge-  
nerantur & generant. Inde omnis generis animantes, homi-  
nes, quadrupedes, aves, pisces, stirpes, metalla, cateraq; res,  
quas benignissima terra ex sese fundit. Quarum omnium cer-  
ta veluti ætates sunt constituta, ut nascantur, adolescant, con-  
sescant, tandemq; certis temporum intervallis intercant.  
Mars in terras, terraq; vicicissim in maria commutantur.

Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus

Esse fretum ; vidi factas ex æquore terras.

M

Hinc

Hinc aridi abvei, qua flumina fuerant: hinc perennes fluvij, quæ cultæ fuerunt aratæq; terra. Hinc quemadmodum annus in quatuor partes naturali vicissitudine distinctus est: ita universus mundus Elementaris, suas quoq; hiemes & aestates habet: quarum illæ aquarum inundationes & colluviones efficiant: hæ vero contra suscitent exustiones, & incendia terrarum. Sic quoq; primus ille generis humani propagator Adamus (ut Iosephus in antiquitatum libris testatur) prädixerat duplicem labem terrarum, vastitatemq; venturam: alteram inundationibus aquarum: alteram ignium flammarumq; ardoribus. Quod idem sacris literis testatum consignatumq; est. Rectè igitur ac summatim Ovidius hanc rerum naturalium vicissitudinem perstringit ac concludit, ad hunc modum,

- » Nec species sua cuiq; manet, rerumq; novatrix
- » Ex aliis alias reddit natura figuras,
- » Nec perit in toto quicquam, mihi credite, mundo:
- » Sed variat, faciemq; novat: nasciq; vocatur,
- » Incipere esse aliud, quam quod fuit ante; moriq;
- » Desinere illud idem, cum sint huc forsitan illa,
- » Hæc translata illuc, summa tamen omnia constant.

Neg; vero ad res naturales tantum hæc conditio pertinet: sed hominum quoq; opera attingit, mores, consuetudines, leges, artes, linguas, aliasq; res cunctas: qua ab arte naturam imitante, ortum duxerunt: Cum orientur alia: alia vero occidant: quæq; modo floruerunt, nunc obsolescant: atq; adeo quarum admirabilis est ἀνακύκλωσις, ut Polybij verbo utar.

Hinc rectè Cornelius Tacitus scripsit, rebus cunctis inesse quendam velut orbem: quemadmodum temporum vices: ita inorum verti. Quin etiam imperia & Respublica suas habent periodos, ut divinus philosophus Plato, & natura genius Aristoteles testantur.

Quemadmodum enim hominum corpora alia externa vi deji-  
ciantur & pervertuntur: alia intestina humorum dissen-  
sione intereunt: alia naturali confecta senio contabescunt: Ita  
Rerump. alia hostilibus armis afflicta concidunt: alia domesti-  
co seditionis morbo consumuntur: alia vetustatis vitio dila-  
buntur. Id quod tum alia multa, tum inprimis Atheniensium  
& Romanorum Republica olim florentissima testantur.

Qua cum se ita habeant, nemo est qui non intelligat atq;  
perspiciat, omnibus rebus corporatis vicissitudinem, id est, me-  
tamorphosin quandam vicissim recurrentem inesse. Caterum  
isthac omnium corporatarum conversio ac vicissitudo rerum  
non temerè ac fortuito evenit: sed divino numine regitur: Et  
quandiu aeterna mens, qua sola immobilis est, illam consistere  
volet, conservatur. Itaq; in numismate nostro, manus serpen-  
tem & coronam complexa inest: qua summi opificis vis prepo-  
tens & infinita providentia, res universas, summas & imas,  
longè lateq; fovens atq; gubernans, significatur.

Hac habui Audit. Optimi, qua ad Emblematis nostri  
explicationem succurrebant. Quo cum admonemur, non  
modo singulorum hominum, sed universi hominum generis,  
itemq; cali & terrarum certos interitus & occasus, ratis tem-  
porum spaciis definitos esse: Omnino nobis elaborandum est,  
ut prudenter, justè, fortiter, moderateq; vivamus: donec tan-  
dem accitu summi, maximiq; Principis, ex hac mortali miseraq;  
vita evocati, ad caelestium animorum cætum aggregemur, atq;  
corona contexta sempiternisq; seculorum atatibus in se recur-  
rente donemur.

D I X I.




M 2

ORA-



ORATIO SECUNDAE  
 CLASSIS, RECITATA  
 4  
 IOHANNÉ VVELSERO  
 NORIBERG.



**I**n voluntate & jussu Magnifici Domini Re-  
 ktoris penitus acquiescere, legibus cum jubeamur omnes: me-  
 um etiam est illius nequaquam detrectare imperium. Ordine  
 igitur jussus dicere, cum ea, quam aetas hac mea fert, cogitatio-  
 ne & modestia quod sentio in medium proferam, certa spe fre-  
 vus, probatum iri hanc meam obedientiam, & conatum tenu-  
 em bonis omnibus. Quibus utiq; constat, in universum hu-  
 jus quam nunc ago aetatis, cogitationem exquisitam esse nul-  
 lam. In altera numismatis nostri facie expressa continetur  
 imago Ciconia, quae ex pastu reversa corpus in aëre librans, in-  
 fidens in nido pulli rostro hianti serpentem indit: cum hac  
 ϩαφϩ. Pietas tutissima virtus. Habet hac avis ex testimonio  
 gravissi-

gravissimorum scriptorum, multarum virtutum in se simula-  
 cra plurima. Castitatis namq; amantiſſimam in violantem con-  
 jugij leges severiſſimè animadvertere exemplis probat ex ve-  
 teribus Aelianus: ex neotericis Aventinus & alij. Quod ni-  
 dos eosdem repellant, & ſtato tempore abeant atq; revertantur,  
 certo conſtantia ſigno, aſſerit Plinius. Vita vero innocentiam  
 tantum honoris conciliaſſe olim in Theſſalia ciconijs ſcribit  
 idem Plinius, ut eadem pœna in eum qui hominem & qui cico-  
 niam interfeciſſet, fuerit conſtituta. Quid dicam de grati-  
 tudine in hospites ſuos? quid de parentum in ſobolem amore,  
 cura & proſpectione? quorum inſignia exempla recenſet A Eli-  
 anus, libro de animalibus octavo. Atqui horum aliqua cum  
 aliis volucribus Ciconia forſan habent communia: aliqua uni-  
 us autoris ſuffulta teſtimonio, vel fabuloſa vel ſaltem toti Cico-  
 niarum generi minus propria videri poſſunt. De pietate in  
 parentes audiamus: qua in hac ave veteribus eò usq; placuiſſe  
 ſcribitur, ut in ſceptris regis Juſtitia ſymbolum Ciconia ſculpi  
 ſolita fuerit. Hanc pietatem Ariſtophanes in avibus hiſ  
 verbis protulit.

ΑΜ' ἔστιν ἡμῖν τοῖσιν ὄρνιθιν ἴνομος  
 Παλῆος ἐν τοῖς τῶν πελαργῶν κύβεσιν:  
 Ἐπὴν ὁ πατὴρ ὁ πέλαργος ἐκπετησίμους  
 Πάντας ποιήσῃ τὸς πελαργιδῆς τρέφων,  
 Δὲ τὸς νεοτῆρς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν.

Rei veritatem, non tantum à prophanis dependere, sed  
 Lingua sancta affirmant approbari Erymo: qua ut audio Ci-  
 coniam Chastidhàh appellat, à pietate, & eximia in paren-  
 tes misericordia, ut qua senio confectis, infantia sua vices re-  
 pendens θρεπτήρια exhibeat, non nutritione & defensione  
 sola, sed etiam subvolatum gestione in propriis humeris. Græci

eam, quam de nobis optimè meritis tempestivè referimus gratiam, τῆς ἀντιπελαργίας voce per similitudinem à Ciconiis, quæ ipsis suat πῆλαργοι, sumpta, expresserunt: actum ipsum ἀντιπελαργεῖν nominantes. Et quis quod jam dixi in controversiam vocabit, unanimi consensu à veracissimis rerum naturalium scriptoribus consignatum, ab Amplissimis & Clarissimis Dominis Scholarchis, nostris nutritiis, ad cogitandum propositum? Hi commonefacturi de officio nostro nos ætatis paulo provectioris, Pietatem nobis ante oculos ponunt, quæ est secundum Cornelium Severum tutissima virtus. Et verè tutissima virtus, quæ ut reliquarum virtutum genitrix, in sacris literis severissimè mandata, sola promissiones habet, tam presentis quàm futuri seculi. Et propter eventus felicissimos, in toto terrarum orbe, maximè una prædicatur. Hæc est illa pietas, quæ Philonomū & Calliã, adolescentes coætaneos servavit tū, cum uterq; relictis omnibus opibus, parentes suos effætos humeris asportarunt illesi, cedentibus flammis, ex Aetna monte eruptione facta, omnia loca complementibus. Hæc est illa virtus, cui Pop. Romanus templum pietatis exstruxit, quod miraculo quodam, puerpera ignobilis, matrem, fame necandam, proprijs uberibus alere fuerat deprehensa. Hæc est virtus, cujus violatores, non ciconia sed cuculi, apud omnes populos pro infamibus, sceleratis, execrandis, semper habiti fuere. Quod ipsum exemplis Chaami, Noë patri illudentis: Orestis Clytemnestram matrem, Neronis, matrem & præceptorem Senecam interficientis: Catilinæ patriam convellentis: & infinitis alijs non difficulter probari posset. Ad pietatem igitur virtutem tutissimam invitamur, in Ciconijs inter bestias maximè adumbratam, illarum similes ut simus, castitate, constantiã, vita innocentiã & justiciã: quæ sub uno pietatis vocabulo comprehenduntur. Nulla in homine ætas facilius voluptatum & libidinum illecebris & lenocinijs capitur, quàm hæc nostra à pubertate pro-

tate proxima. Sed nec ulla vicissim tanta sentit, corporis, animi, vita & fortunarum detrimenta ac jacturas, quanta voluptates feda sectantium conditio. At quid DEVM ipsum mentem castam & in puritatis amantes, sapientia sua effundentem dona, gravius offendit, quàm morum pravitas & vita turpitudine? Non tam sumus apes: non tam factor columbas, quàm animus libidinosus DEVM fugat.

Ab omni igitur scurrilitate alieni, ô mei commilitones, Ciconiarum imitatores facti: munditiâ, probitate, pudore, & temperantiâ, quibus universis adolescentum mores contineri didicimus, nihil amabilius, nihil pulchrius arbitrabitur. Ut autem intra verecundia metas adolescentibus nobis consistendum est: ita quod in ciconiis umbra virtutis, predicari audimus: constantia laudem non modo non affectabimus, sed mordicus arreptam, fideliter retinendo tuebimur. Quod suo sit tempore, suo loco, justo ordine, nec intempestivè, turbulenter, confusè, laudem meretur, nunquam infrugiferum, nunquam molestum. Tantùm enim abest, ut qui ita agit cuiquam offundat molestiam, ut dedisse potius, quàm beneficium accepisse ab omnibus judicetur. Verum ad hac accedat, necesse est, Pietas tutissima virtus, quæ σοφῶν φρονῆσιν stimulos subjiciente, in hoc tota incūbat, ut in nostros omnino tales non videri sed esse velim: quales nostros quandoq; in nos futuros speramus, erga nos vero dū gigneremur, nostros fuisse, proprio scimus testimonio. Quantum amoris, quantum reverentia debeamus patriæ & parentibus, ingenua mentes facilè vident, profitentur libenter. Patria certè divinum quoddam nascentibus nobis præbuit hospitium: in quo florentibus pietatis sincera exercitiis, honestissimarum legum constitutionibus, laudatissimis in omni disciplinarum genere studiis, in pace & rerum summâ tranquillitate viveremus, educaremur, aleremur. Maximis beneficijs devincti sumus ijs, à

quibus homines procreati & enutriti vivere capimus, quique innumerabiles casus, pericula, tedia atque molestias nostra causa sustinuerunt. His etiam qui, ut rectè, ut honestè vivamus, impensè curant, deque nostra salute & incremento, noctes atque dies solliciti sunt, parem cum parentibus deberi gratiam, Alexander ille Magnus affirmabat, utrisque vero parem referri posse Aristoteles negabat. Hinc, quid singulis debeamus, quoties in nostro numismate Ciconiam intuebimur (intuebimur autem quotidie) piè & diligenter cogitabimus, & pietati in omnes studebimus. Sed in primis erga Amplissimum Senatuum Noricum, & Dominos Scholarchas, Dominos nostros benignissimos, qui non fictâ sed vivâ imagine Ecclesie matri senescenti suis humeris excepta grata simul præstant ἀντιθερηπτήρια: & simul pullos suos, id est, scholas, & præcipuè hanc Academiam Altorphinam, assidua pietate fovent & mirificè tuentur. In unum verò nos omnes cavebimus, ne in nos merito illud Theocriteum dici possit: ἴδ' ἂν χάρις εἰς πτωθεῖσιν. Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύναις, ὡς τὸ φάγοντι.


## D I X I.





49

ORATIO TERTIAE  
CLASSIS, RECITATA  
ab  
ELIA BOHEMO  
NORIBERG.



**V**IDE quid exigas, Magnifice Domine  
 Rector, & à quo? atq; ita vide, ne aquam è pumice po-  
 stulare videare. Idem enim ego, quod commilito meo excusatio-  
 nis loco attulit, afferre commodè possum. Sculpturam ac Em-  
 blema numismatis hujus (quod nos pridiani Musarum tyrun-  
 culi congiarij nomine beneficio D D. Amplissimorum Scho-  
 larcharum à te accepimus) enodare me jubes. Atq; hoc est ab  
 asino lanam, à me explicationem Symboli istius poscere. Putas  
 me in sacris Aegyptiorum scholis Hieroglyphicis imbutum esse  
 literis? minimè verò. Existimas me Apollinis mentem tene-  
 re? nullatenus. Proinde Darvus sum, non Oedipus, atq; gryphis  
 N & anigma-

& enigmatibus hujuscemodi minimè laceſſendus. Quid igitur  
 faciam? Donatum hoc, inſigne ſedulitatis atq; diligentia  
 meæ teſtimonium abjiciam? non faciam. Quin potius myſte-  
 rij hujus divinationem, diligentia quanta potero aggrediar: ut  
 ſi non vatem, Saulum inter vates ſaltem egiſſe videar. Video  
 Congium anguſtiſſimo præditum osculo (liceat mihi hanc vocẽ  
 pace Grammaticorum in germana ipſius ſignificatione ponere)  
 video aquam ex ipſo, non impetu, ruentem, ſed modicè ſtillan-  
 tem, cum tamen liquoris plenißimum ſit. Video herbula nunc  
 primum nata, tenerrimos ſoſculos huic leni ſtillicidio, ne ardo-  
 re Phœbi, quem eminus radios ſuos huc projectantem conſpicio,  
 maceſcant atq; in nihilum reducantur, ſubjectos. Video de-  
 nig; circum, quo hæc omnia includuntur, è majusculis literu-  
 larum notis concinnatum. Quarum niſi me lumina fallunt,  
 ſententia hæc eſt: Adde parum parvo. Quis mihi jam acumen  
 mentis ad hæc penitus perſpicienda ſuppeditabit? quis ingeni-  
 um atq; judicium ad hæc rectè enucleanda ſufficiet? Certè du-  
 ciſ hic maximè indigeo: Tentemus tamen: audentes quippe  
 adjuvat ipſe DEVS. Libet hic paulum cornicari, Rhetoricari  
 inquam, atq; per ὑπεροὴν πρὸς ἄνω ab extremo initium facere. In-  
 ſcriptionem inquam aggredi placet, atq; in hunc modum con-  
 plere.

Adde parum parvo, parvo ſuperadde puſillum:

Fiet & hoc magnum, ſic creſcit copia rerum.

Nihil minus ſanè, non rectè collinearvi. Quid ſi ſic:

Adde parum parvo, quàm plurima confer in unum

E parvo tandem magnus acervus erit.

Nequicquam: nondum ſcopum attingi. Quid ſi ſic.

Adde parum parvo: teneras non obrue mentes;

Parva doce parvum, pro modulo ingenij.

Videor me jam rem acu tetigiſſe atq; verum ſententiæ ſen-  
 ſum eliciſſe? ipſe quidem certè affirmare non poſſum: Quinti-  
 liano ta-

liano tamen duce hac in parte usus sum: Sic enim ille: (qui sane locus non solum hoc Emblemata, sed & picturam ipsius adunguē enotare videtur.) Sicut vascula, inquit, angusti orificij, superfusam humoris copiam, respuunt & effundunt: sensim autem paulatimq; influentem & instillatum liquorem recipiunt, receptumq; fideliter continent: Ita animi puerorum angusti, & majorum adhuc incapaces, nimia doctrinarum praeceptionumq; copia fatigantur & obruuntur: pauci autem & brevibus praeceptis sensim paulatimq; implentur. Haecenus Fabius, Invertamus jam licet hanc clarissimi oratoris similitudinem, atq; ad hoc nostrum accommodemus negotium. Planta nuperimè enata, quaq; demum germen suum emittit, si largifluis umbre irrigetur, aut nimio ab hortulano suffundatur humore, celerrimè certè intermoriatur: Terra namq; copioso humore diffluens, radicem deserit, unde planta primum germinans, succo & sulcro externo simul destituta, ante aetatem concidit: At si eadem leni & exiguo modicè humectetur liquore, subinde irrigata atq; vivificata, in altissimum excrescet fruticem, ad summam deveniet perfectionem. Ita profectò comparatum est, cum animis puerorum: si enim pari ac non absimili in instillandis animis eorum praeceptis, utatur praeceptor ratione, nonne parum parvo actenello ingenio addendis id efficiet, ut cum ingenij & aetatis vigore, eruditio atq; prudentia vigeat, atq; magis magisq; roboretur? Et quemadmodum herba nunc primum nata, a siduis solis fervoribus usata, nec ullo latice vivida reddita, è vestigio flaccescit atq; interit: Sic adolescens turpi atq; ignavo ocio astuans torpescensq; omnem vim ingenij, totam mentis actem, uniuersum animi vigorem, intra breve tempus sensim deficere, miserrimè extinguì, fadissimè enecari sentiet.

D I X I.


N 2

ORA

ORATIO QVARTAE  
CLASSIS, RECITATA

À

IOHANNE CHRISTOPHORO OLHAFEN  
N O R I B E R G,



**G**RAVE est admodum & perdifficile R. Mag.  
quod demandatur mihi : mihi inquam adulescentulo re-  
rum adhuc imperito , inq̃ Musarum castra vix ingresso.  
Hujusmodi enim antiquorum praeclara inventa , ut Emblemata  
& alia ingeniosè excogitata , dextrè explicare , & quò decet  
rectè accommodare , non est cujusvis : sed eorum tantum , qui  
& ingenio valent , & rerum usu in vita sunt instructi . Ve-  
rum ne petitioni Magnificentiae tuae ad me delata adversari  
ineptè videar : adferam paucis ea ex suggestionè aliorum non  
prorsus contemnenda , quae in mentem veniunt . Quod dum  
facio , benignè me audiri reverenter peto . In numismate nostro  
Adamus conspicitur ignis flamma ardenti impositus : sed inte-  
ger , illesus

ger, illaesus atq; inviolatus. Mallei item duo, de super ictum  
 minantes, & per vices quasi eundem iterantes, cum Epigram-  
 mate: Perfer & obdura. Quae pictura procul dubio haud te-  
 merè conficta, si divinare licet, hoc potissimum innuere vide-  
 tur: Quod ut Adamas lapis omnium pretiosissimus, nec igni,  
 nec ferro, nec ulli violentia cedit, nisi sanguis hircinus recens  
 adhuc & calidus adhibeatur, quo tandem mirando modo, fran-  
 gi atq; atteri paulatim scribitur, aut ore Plinio: Ita ingenium  
 humanum, praeclens quidem, ac multiplici rerum cognitione  
 ab opifice initio instructum, per lapsum demum adeo stupidum,  
 distortum, indomitum, atq; intractabile evasit: ut nisi doctri-  
 na & institutionis liberalioris, quasi succo, ejusq; vi admirabi-  
 li, per praeceptores tanquam malleos, novo operi subinde instan-  
 tes, recens adhuc subigatur, dometur & comprimatur, haud  
 unquam mitescat, vel ad frugem aliquam perveniat: sed quod  
 dolendum, in deterius potius quotidie vergat ac prolabatur.  
 Qua dere, cum in sacris tum prophanis literis, extant per mul-  
 ta, quae hujus mali magnitudinem, contumaciam nimirum &  
 duritiam ingenij nostris innatam, vehementissimè deplorant.

Verùm cum in hoc ipso morbo, propemodum insanabili, cu-  
 rando mira prudentia, tolerantia & constantia requiratur,  
 ut & ipsa inscriptio notat: Perfer & obdura: facile inde ani-  
 madverti potest, quantum onus sustineant ij, qui ingenij pue-  
 rilibus adeò depravatis, corruptis, & infinitis ignorantiae tene-  
 bris immersis, denuo instaurandis, excitandis, & illustrandis  
 incumbunt. Quas item difficultates & molestias experiri  
 atq; exhaurire necesse sit eos, qui doctrina & discipline succum  
 instillari sibi, eoq; interveniente immutari, atq; ita à feritate,  
 ad humanitatem traduci volunt & cupiunt.

Non enim hac ingeniorum nostrorum Palingenesia ita se  
 habet, ut uno quasi momento & sine ullo negotio statim absol-



vatur & perficiatur, quemadmodum aliàs vasa inania, infundibulorum beneficio ad summum citra moram, adimplentur: sed longius exposcit temporis spacium, industriam & laborem, ut felix & salutaris tandem existat. Ac licet non habeam, quod dicam de ijs, qua institutoribus permultum facessunt negotij, mirificeq; eos exercent: de quibus etiam quotidie conqueruntur, ut de ingeniorum nostrorum pravitare, stupore, tarditate, cum quibus omnibus pijs, tanquam cum hostibus immanissimis, perpetuò conflictandum est, ut aliquo saltem modo, hoc genus mali tollant atq; emendent: Hoc tamen affirmare non dubito, multis in hac militia constitutis, labores, vigilias & difficultates obvias videri planè adamantinas, invictas atq; inexpugnabiles. Vnde non raro consequitur, ut hanc omnium præclarissimam, maximeq; necessariam, & utilem ingenij sui culturam negligant, & respuant, eaq; prorsus deserta, ad alia ingenio hominibus indigna, desperabundi se convertant. Sed malè, imò turpissimè: ipsius Emblematis nostri judicio, quod dicit: Perfer & obdura. Constantia hic, firmoq; animi proposito opus est ei, qui velit emergere, & amissum ingenij decus cum laude recuperare. Nullus hic mollitiei aut desidia locus: quod & Poëta Horatius venustè exprimit, dicens:

Qui cupit optatam, studiis contingere metam  
 Multa tulit fecitq; puer, sudavit & alsit.  
 Abstinet Venere & Baccho, qui Pythia cantat.

Verum quidem est, offerri multa novis literarum Tyronibus satis molesta & aspera: Quæ tamen omnia ita sunt comparata, ut si accedat animi equitas, studij alacritas, & docentis dexteritas, facile vinci & superari queant. Non itaq; statim desperamus, aut fugam abjectis armis meditemur, sed subsistamus potius fortiter, & constantè pugnemus, spe nimirum victo-

ria tandem obtinenda: imitantes male affectos, qui saepe fatigatis, tanquam omnium pretiosissimi boni, recuperanda causa, pharmaca etiam amarulentiora à Medicis porrecta assumere non recusant. Socrates ipse hac in parte non parum difficultatis sensit, utpotè qui naturà tardus & stupidus fuit: nihilominus tamen per assiduitatem studij & laboris diligentiam ingenium ejus ita subactum, compressum atq. edomitum fuit, ut sapientissimus etiam oraculi testimonio evaderet. Sic de aliis compluribus scribitur, quos brevitatis causa omitto. Hoc itaq. statuamus, omnia, adhibitâ curâ animiq. contertione sedula, absolvi atq. perfici: studio & labore indefesso, nihil non obtineri, nec quemquam repertum unquam fuisse, qui absq. aliquo conatu, praeclarum quid sit affecutus, maximè in studiis, quae ingenis nostris refingendis destinata sunt, quorum radices, ut dicitur, amarae, fructus vero dulces. Quod dum Proceres Academici optimè intelligunt, non modo per praeceptores laborantes & sudantes, nobiscum agunt, ut in capto & laborioso studiorum curriculo subindè pergamus, nec ullo nos pacto ab instituto dimoveri patiamur, Verum ipsi quoq. pro sua singulari prudentia, per ipsa Emblemata, officij nos tacitè commonent, ad diligentem ingenij morumq. cultum capeffendum, paternè excitant, ad laborum tolerantiam & perseverationem, premiis quoq. propositis, atq. aliis benevolentia signis augustissimis, discentes nos invitant: Haud dubiè cogitantes, non satis esse benè capisse, sed & perseverantiâ opus esse, ut habet numismatis εὐρυπέτη: Perfer & obdura. Quae cum ita se habeant, & omnia ad pietatis & literatura propagationē ac conservationem, in primis verò ad ingeniorum nostrorum accuratam informationē faciant, decet nos hac & alia de quibus extremo hujus actō loco dicetur, gratis animis agnoscere. Et quia nobis potissimum

feritur & metitur, omni studio ac conatu eò contendere debe-  
 mus, ut ipsorum monitis paternis obsequamur, ocium omnium  
 vitiorum fontem fugiamus, labores ad ingenij eruditionem su-  
 sceptos urgeamus, ne nobis ipsi defuisse aliquando videamur:  
 aut male utenda hoc insigni & precioso bono, ad ingenij cultu-  
 ram & virtutis studium præclarè comparato, alijs improbè no-  
 cuisse perhibeamur: præsertim cum rebus necessariis abunde in-  
 structi simus. Quibus certè omnibus, si rectè & legitimè uta-  
 mur, nihil est, quod in clyto Senatui Norica Reip. atq; ipsis Do-  
 minis Scholarchis, viris Amplissimis, nobisq; summè colen-  
 dis accidere possit gratius. Horum expectationi de schola &  
 nobis hinc studiorum gratia commorantibus conceptæ satisfacere:  
 horum voluntati obtemperare, nosq; totos ad eandem ac-  
 commodare: hisce deniq; placere, maximè equum, pium & lau-  
 dabile est, juxta illud, quod in versu dicitur,

Principibus placuisse viris, non ultima laus est.

D I X I.



GRA-

53

GRATIARVM ACTIO,  
RECITATA

à

MARCO CHRISTOPHORO IVLIO  
NORIBERG.

**N**ISI patientia vestra atq<sup>ue</sup> humanitas tanta esset. Amplissimi Domini Scholarchæ, dignissime domine Procancellarie, prudentissimi Senatores, clarissimi Domini Doctores & Professores: nisi inquam patientia vestra tanta esset, quanta multis jam annis ab omnibus, qui ex hoc loco dixerunt, perspecta fuit ac celebrata, Vererer sanè cum tanta pueritia, hujus loci autoritatem contingere, & in vestrum dicendi causa conspectum venire ornatissimum. At quia ipse in hoc actu, vestram perspexi virtutem, animumq<sup>ue</sup> cognovi assentissimum: ita me confirmo, ut non dubitem etiam ea, quæ

O

à Magni-

à Magnifico Domino Rectore mihi imposita sunt, in vestra fide religioneq; deponere. Ille enim pro ea, qua hoc tempore valet, autoritate mihi demandavit; ut pro laudabili hujus Academia consuetudine vobis omnibus & singulis, nomine totius Scholae, gratias agerem, non tantum pro honorifica hac vestra praesentia, sed etiam fide, amore ac beneficentia, qua multis annis hanc vestram Academiam complexi estis, & adhuc complectimini quotidie. Quod licet me omnibus modis vobis debere fatear, & fatear libenter, quia tamen ob beneficiorum vestrorum magnitudinem, id grave mihi futurum praevideo: Vos oro atq; obtestor, ut me hac in parte pro vestra patientia benignè sublevetis, meq; pauca de vestris in hanc adolescentiam premeritis, ad scholasticos hosce, verba facere patiamini. Non enim vos immodicâ orationis longitudine detinebo, sed operam dabo, ut paucis utrumq; intelligant adolescentes, cum quanta à vobis accipiant beneficia quotidie, tum quanta ab illis requiratur erga vos observantia meritorumq; grata memoria.

Quid igitur est adolescentes optimi, quo beneficia hujus Magistratus, vel satis à nobis agnosci, vel commemorari posse existimem? Equidem quò me veram nescio: unde incipiam, aut ubi desinam, vix habeo.

Tanta Dominorum Scholarcharum in vos extat beneficiorum multitudo & copia, ut difficilius sit hujus orationis exitum invenire, quàm principium. Non enim fieri potest, non potest inquam fieri, ut ea quae tot annis, tot sumptibus, tot curis, in hanc scholam collata sunt, & adhuc conferuntur quotidie, uno momento, una hora, uno die percenseri possent omnia. Aristoteles quidem, in libris Rhetoricis autumat, omnia beneficia quae in nos proficiuntur ab alijs, vel pertinere ad vitæ salutem, vel ad divitias comparandas, vel ad ejusmodi bonum cujus omnino difficilis sit acquisitio. Quam sententiam si ad Scholarchas conferre libet, nihil sanè erit ex tribus, quod non tribuatur vobis cumulatissimè. Et enim



Etenim quid est, quod ad vitam nostram tuendam conservandamq̄ majus contingere possit beneficium, quàm literarum communicatio? quàm virtutis doctrinaq̄ in vos propagatio? sine qua nec Respub. stare, nec Ecclesia gubernari, nec societas hominum conjungi potest. Quis enim quaso leges conderet? quis jura prescriberet? aut quis de virtutibus, de officijs, de DEO, DE Iq̄ numine, nos doceret? nisi literarum essent cultores, nisi sapientia Magistri, & natura indagatores diligentissimi, sine quibus nec vitam servari, nec rectè institui posse, manifestius opinor est, quàm ut demonstrari opera pretium videatur. Imò quod majus est, nec vita ipsa absq̄ doctrina vitarectè dici aut nominari potest. Id quod vel summus Philosophus affirmare non dubitavit, cum interrogatus esset, quid doctus ab indocto differret: praeclare sanè ac prudenter respondit, quod vivus à mortuo, Vitam scilicet absq̄ doctrina nec suavem, nec beatam esse posse inueniens: sed morti potius quàm vita similem esse ducendam.

Quid ergo? inquires, Nemo nisi literatus vivit? ceteriq̄ omnes, qui ea, quam tu predicas doctrina destituti sunt, videntur tibi mortui? Equidem non nego, plurimos vivere, etiam non literatos, non doctos, non eruditos, neq̄ vivere eos tantum dico, sed etiam ad honores & dignitates saepe evehi amplissimas: Veruntamen eos, absq̄ aliorum doctrina, unquam vel rectè vivere, vel ad honores ascendere potuisse: id sanè pernego. Si enim nunquam vel à parentibus suis, vel ab alijs, quia ea, quam disputo, doctrina antecelluerunt, à pueris essent imbuti ac educati, quid putas ipsorum vitam distare à beluina aut cyclopica vitæ ratione? Nemo profectò nascitur prudens, nemo gignitur doctus, nemo à parentibus in hanc lucem editur sapiens, sed opus est disciplinâ, educatione doctrinaq̄ elementis. Quae si non à teneris nobis instillentur

annis, non vivere tantum nihil juvat, sed nunquam natum fuisse præstabilius censeatur. Quamobrem nullum sanè majus in mundo nobis præstari posse videtur τῆς σωτηρίας beneficium, quam liberalis institutio, quàm disciplina conservatio, doctrinæ, communio. Quæ cum etiam in hac schola, beneficio Senatûs Amplissimi Norici, auxilio Amplissimorum dominorum Scholarcharum, fidelitate præceptorum, in omni prope disciplinarû genere, vobis impertiantur quotidie: quis obsecro, eos non vitæ vestra propugnatores existimet? quis non parentum loco eos honorandos arbitretur? Illi certè nos parvos in hanc lucem procrearunt; Hi nos doctrina magnos efficere student. Illi nos rudes, barbaros, ac planè elingues prodiderunt; Hi nos doctrinâ expolire, moribus informare, eloquentiâ facundos reddere laborant; hi nos nobilitate literarum ac rerum peritiâ illustres & claros efficere conantur. Quæ si considerare volumus: quemadmodum nos considerare omnino decet, quis est obsecro? qui non cum Alexandro Magno fateatur atq; exclamet, se plus debere his vitæ ducibus, quàm vel suis parentibus, quoniam ab illis τὸ εἶναι, ut simus, accepimus: ab his vero τὸ εἶναι, ut bene simus, assequimur quotidie.

Quod si vero quis esset adolēscens, quem natura ita barbarum ac ingratum sinxisset, ut hac parva estimaret, magisq; ad alterum genus, quod in fortunis augendis ab Aristotele proponitur, aspiraret, is sic statuatur velim: nihil vobis etiam in hoc genere denegari à Scholarchis Amplissimis. Quæ enim quaeso fortuna, quæ opes aut possessiones, non proficiuntur ex literarum studijs? Nonne ex his sequuntur honores, divitiæ, dignitates, Magistratus amplissimi? Quid Plato? quid Aristoteles? quid Theophrastus? ceteriq; philosophi, non affecuti leguntur, apud sui temporis homines præstantissimos? Quid Demosthenes, Lysias, Aeschines, oratores apud Græcos non adepti sunt liberalissimè? Isocrates pro una oratione à Nicocle

Rege

Rege centum talenta accepisse legitur. Oppianus pro uno quoque suorum de Venatione, Piscatu & Aucupio poematum versu, singulos aureos stateres dono accepit ab Imperatore Antonino, ut summa ad aureorum duas myriades ascenderit. Quid Cato, Gracchus, Lelius, Galba, Antonius, Cicero, non obtinuerunt apud Romanos? nonne facultatibus abundarunt? nonne gloriam apud omnes populos viguerunt? nonne ex obscuris plerique facti sunt clarissimi & locupletissimi? At quid ego exempla longinqua commemoro? Intuemini quae eos, quos plures videtis praesentes viros clarissimos. Intuemini Professores vestros, qui profecto nunquam ad tantum honoris fastigium ascendissent, nisi literarum studia coluissent, nisi virtutem amassent plurimum, nisi artes & disciplinas perdidicissent constanti animo. Quid igitur putatis de vobis ipsis futurum, si diligenter studueritis, si praeceptores vestros diligenter colueritis, si virtutes literarumque studia magni feceritis. Nonne post paucos annos hic conspicietur in aulis principum, ille in comitiis populi hic in senatu, ille in consessu virorum prudentium, hic in suggestu, ille in lyceo, hic in foro, ille in cathedra fulgebit clarissimus? Quae omnia dum vobis contingere possunt, per hunc Magistratum, per hosce Scholarchas, quis dubitabit, eos non quotidie in vos ea largiri, per quae, & acquiri possint facultates & amplificari copiosissime?

Neque vero necessarium duco Adolescentes, ut de tertio beneficiorum genere differam pluribus: quod in his positum videtur rebus, quarum haud facilis est acquisitio. Quid enim difficilius, quam veritatis ac sanae doctrinae communicatio? quid rarius, quam fidelis literarum institutio? Testantur superiora tempora, quanta difficultas, quanta barbaries fuerit in tradendis artibus, ubi omnia ita fide, inquinatae ac sordide fuerunt tradita, ut jam uno anno, plus addiscere liceat adolescentibus,

quàm olim tota Olympiade, ut jam sæpè plus sciat puer septennis  
quàm olim senex grandævus. Quorsum igitur ista, Adolescentes?  
quorsum recitantur tam copiosè? nimirum ut intelligatis,  
quantum vicissim à vobis requiratur pro tantis meritis. Quibus  
licet nunquam satis respondere possimus factis, tamen imprimis  
requiritur gratus animus, grata memoria, grata observantia.  
Immane vitium est, ac cum scelere conjunctum, ingratitude.  
Monstruosum animal est ac dirum portentum homo ingratus,  
qui non solum mortalibus est molestus, sed ipsi DEO odiosus.  
Nihil est, quod DEVS magis avertetur, quod magis puniat,  
quàm ingratum animum, beneficiorumq; oblivionem.  
Testantur id sacra litera, omnium gentium historia, testatur etiam  
nostra experientia. Quid enim putatis adolescentes, aliud fuisse  
causam, quam obrem DEVS superioribus annis, tot nobis ex  
Senatu Norico eripuerit Scholarchas, viros literatissimos,  
Scholæq; hujus patronos summos, quàm multorum nefandam  
ingratitude. Quam obrem adolescentes expurgiscimini tandem,  
excutite veternum ingratum, excitate animos vestros alacres,  
agnoscite beneficia, qua in vos cumulantur indies, amplectimini  
senatum, reveremini Scholarchas, colite preceptores, obsecundate  
legibus, & quod maximum est, consurgite ad preces, vestraq;  
ex animo sic meis vota jungite.

Tibi Æterne DEVS, Pater Domini nostri IESU CHRISTI,  
peccavimus, tibi ingrati fuimus, tibi pœnas aeternas debemus.  
At quia tu, pro immensa tua misericordia, non solum conservas  
nos adolescentes ingratos: sed das etiam Magistratum clementissimum,  
das Doctores, das Professores, das preceptores classium, qui sint  
vitæ nostræ duces, qui erudiant nos in omnibus artibus, qui  
prohibeant à cunctis vitijs: Tibi uno omnes ore gratias agimus  
immortales, pro immensa tua hac clementia, teq; rogamus  
supplices, ut foveas hunc Magistratum, conserves Scholarchas,  
gubernes Doctores, ut in vera tui agnitione, non solum



solum nos, sed etiam post nos nati erudiri possint, per Dominum  
 IESUM Filium tuum, Amen.

Vobis autem Amplissimi Domini Scholarcha, dignissime  
 Domine Procancellarie, quibus secundum DEUM non minus  
 debemus, quàm parentibus nostris: ceteriq; qui ex senatu ad-  
 stis, viri prudentissimi, Generosi Barones, Nobiles, & quot-  
 quot in hac corona adestis, viri religione, doctrina, virtute ex-  
 cellentissimi: vobis inquam, gratias agimus omnes, quod non  
 solum honorifica praesentia hunc actum Scholasticum decorastis  
 benevoli, sed etiam vestra autoritate & amplitudine exorna-  
 stis plurimum. Rogamus vos Dominos Scholarchas, ceterosq;  
 Academia patronos, ut hanc scholam nunquam deserere veli-  
 tis, sed vestra ope, consilio, prudentia, animiq; magnitudine,  
 eam munire fortissimè, ab omni ruina & interitu  
 vindicare sedulo, Leges à vobis latas, promulgatas, sanctissi-  
 meq; juratas, acriter propugnare, hancq; juventutem in ve-  
 stram fidem, clientelam ac patrocinium, suscipere clementer.  
 Hac vestra erit laus, hac vestra trophæa, hac ornamenta Reipu-  
 blica vestra pulcherrima, hac seges erit sempiterna vestra glo-  
 ria. Si hac seminaria Ecclesiæ Reiq; pub. fovebitis, quemad-  
 modum fovistis hactenus paternè: habebitis semper Pratores  
 fortissimos, gravissimos consules, prudentissimos senatores,  
 verbi DEI pracones peritissimos, & civitatem optimam, &  
 sempiternam gloriam apud externos. A nobis autem omnem  
 reverentiam, pietatem, studium, animumq; gratissimum: Et  
 quod maximum est, à DEO ipso expectabitis aeterna premia,  
 aeternam salutem, vitæq; immortalitatis beatitudinem.

D I X I.

O 4 PANE-



XII.  
PANEGYRIS, ANNI  
1588.

SUBRECTORE  
D.D. PHILIPPO SCHERBIO  
MEDICO.

*Oratio quarta classis, recitata*

à  
PHILIPPO CAMERARIO  
NORIBERG.



T FILIOLI *adhuc balbutientes, libenter audiuntur à patribus, suntq̃, eorum etiam ipsi errores eis voluptati: sic spero, patres Amplissimi, meam quoq̃, infantiam vobis, si non jucundam, at non tamen planè ingratam fore. Puto igitur & libro & Circi*

& Circini circumductione, studiorum nostrorum labores nobis  
 ob oculos proponi. Liber clausus aperiendus est, reconditaq;  
 doctrina labore inde eruenda: non expectandum semper, dum  
 alij nobis premansum cibum in os ingerant. Nam & gallinas  
 ajunt melius pasci, si grana ipsa è terra eruant, aut hinc inde  
 dispensa queritent, quàm si copiosè eis projiciantur. Quod  
 idem diligens etiam & solers circini circumductio nobis con-  
 firmat. Nam alter pes circini immobili centro ita infigitur,  
 ut perpetuò ei hæreat, loco nunquam moveatur: quæ est maxi-  
 ma læta laborum & constantia in rebus honestis: alter vero pes  
 circumactione in se ipsum, ut principium medium & finis sint  
 idem. Hæc ad laborum assiduitatem & revolutionem perti-  
 nent. Labores enim debent esse concatenati ac circulares, &  
 ut est in veteri tragædia, Labor labori laborem afferat. Id  
 quod eleganter quoq; manus è cælesti corpore protensa nobis  
 subjicit. Corporum enim illorum sempiternus & perennis mo-  
 tus, significat perpetuam quoq; nostram in laboribus subeundis  
 agitationem. Non enim nobis modo quiescendum, modo ad  
 alia decurrendum, sed usq; & usq; mens in honestis laboribus  
 motu circulari versanda est. Gratulor igitur mihi ex hoc loco  
 nunc primum balbutienti ejusmodi argumentum oblatum esse,  
 cujus imagine & recordatione, studiosi adolescentes, Ignaviam  
 nobis valde dulcem, discimus fugere, & ad vigilantiam, assidu-  
 itatem, attentionemq; animi exacuimur. Scribunt hoc docti  
 viri, quatuor omnino esse quibus impediatur pleriq; à magna-  
 rum præclararumq; rerum adeptione. Vel enim judicio labi-  
 mur, idq; dupliciter, in fine, & in ijs quæ ad finem pertinent: vel  
 constantiam perseverantiamq; non retinemus, sed cum & ad  
 ea, quæ bona sunt, initio animum adjecimus, & eas ingressi su-  
 mus vias, quæ quò tendimus ferant, postea tamen aut difficul-  
 tate rerum deterriti, aut levitate quadam distracti, converti-

*mus aliò, & ignavia nos damus: vel deniq; cum & verè judi-  
cavimus, & satis constanter in eo quod constituimus, pertendi-  
dimus: virium tamen imbecillitate & inopia consequi ea qua  
volumus non possumus. Cum vero abunde nobis suppetant  
praesidia, quibus iudicium excolatur, ac magistri constituti, qui  
consilijs praeceptisq; optima nobis itinera commonstrent; viri-  
um quoq; satis plerisque natura tribuerit: unum illud nobis  
cavendum, ne quod Ciceronis filio dicunt contigisse, nobis quoq;  
contingat, id est, nobismetipsis defuisse videamus. Id quod  
effugiemus, si, qua nobis premio nostro adumbrata sunt, urgere  
nunquam desistamus, rectam scilicet viam à magistris nobis  
ostensam sedulo persequentes: nec languori nos dantes, neq;  
mutabilitate quadam aliò conversi. Ego quidem certè hoc  
mihi posthac tanquam pratorium edictum proponam, ut nulla  
dies (quod ab Apelle & dictum & observatum accepimus)  
mihi abeat sine linea.*


D I X I .



ORA-

58

ORATIO TERTIAE  
CLASSIS, RECITATA  
à  
GEORGIO PAVLO NVZELIO  
NORIBERG.



**P**• SCHERBIVS. *Te nunc Georgi Paule Nuzeli voco. NIZELIVS. Mene? Sch. Te ipsum volo, si modo Nizelius minor es? N. Sum equidem, sed vetus est M. D. Rector, sine pennis volare haud facile est. mea ala pennas non habent; sunt alij, qui atate & ingenio longè me superant. Didici hoc nuper ex officijs Ciceronis nostri: Non solum videndum esse, quàm præclarum sit illud quod suscipere cogitamus, sed etiam an habeamus efficiendi facultatem. S. Ne vereris: te enim pro atate tua expectationi mea satisfacere posse spero. N. Credo sanè, puerilia tantum à me expectari, eaq; spe fretus jam nunc obtemperarem; sed metuo etiam nunc, ne mihi fortè idem usu veniat, quod adolescenti illi in Comædia*

nostra Terentiana, qui ubi ad Iudices ventum erat, nihil potuit proloqui, ita cum tum timidum obstupescit pudor. S. Tu vero dimitte tandem subrusticum istum pudorem, civilem retine. N. Quando igitur ita vis: obtempero. Atq; hoc unicum sanè verbum sit oratiuncula mea principium, quo nullum melius & etati mea convenientius puto à me posse inveniri. S. Rectè quidem dicis, accede ergò, & hanc cathedram ascende, & specimen exhibe ingenij tui.

## SEQUITVR IAM ORATIO.

**C**um igitur omnia animalia, suas quasdam habeant proprietates, in easq; tacito naturæ impulsu ferantur (alia enim naturâ sunt rapacia, alia insidiosa, alia crudelia, alia timida & ad fugam parata) homo quoq; ipse plurimas à provida & sagaci natura accepit, quæ ipsum ad certas quasdam actiones impellunt. In ijs vero facile primum locum habet illa rerum cognoscendarum cupiditas, quæ ita omnibus est innata, ut quo insignior & illustrior in quoq; est, eo expressius humana naturæ vis in eo eluceat. Hoc quoq; didici ex aureis officiis Ciceronis nostri. Ita enim ait: Imprimis hominis est propria verè inquisitio atq; investigatio. Itaq; cum sumus necessarijs negotijs curisq; vacui, tum avemus aliquid videre, audire ac discere, cognitionemq; rerum aut occultarum aut admirabilium ad benè beatèq; vivendum necessariam ducimus. Etsi autem contra ipsius naturæ iudicium nos pueri videmur à discendo refugere, revera tamen non tam à cognitione abhorremus, quam liborem nobis amarum esse ducimus. Crebra enim nostra percunctationes de rebus varijs, delectatio fabellarum, in quibus aliud dicitur, aliud significatur, certè non aliundè proficiscuntur, quam à naturali illa cognitionis cupiditate. Naturale etiam nobis est, ut sedium mutatione & peregrinatione gaudeamus. Cujus quidem rei



dem rei audiui causam esse nullam aliam, nisi quia peregrinando identidem nova aliqua, nunquam antea vel visa, vel audita objiciuntur. Nunc videntur nova flumina, nunc montes, nunc castella, nunc thermae, palatia, templa, amphitheatra, bibliotheca, statuae, sepulchra, fontes, cateraq; innumera. Nunc audiuntur nova cujusq; Reipublica instituta, nova leges, nova consuetudines, in victu, in vestitu, in publicis solennitatibus cognoscuntur, ut propè assiduè peregrinando videamur aliquid novi discere. Peregrinas vero linguas ubi addicimus, DEVS bone, quanta voluptate afficimur, ut nobis placeamus, ut nos ostentamus, ut omnes hoc novisse gestimus! Haec igitur satis pervincunt etiam nobis pueris nullum esse animorum pabulum jucundius, quàm admirari, discere, scire, si nobis modo cor rectum sit, hoc est, si à natura hominis non descivimus. Iam cum quodq; animal eo perfectius in suo genere sit, quo ad naturae suae congruentes actiones est propensius (ut canis quo est sagacior, equus, quo ad pugnam animosior, eo censetur melior & generosior) homo etiam is omnium optimè animum habebit à natura informatum, qui discendi aviditate reliquos superaverit. Cor igitur rectum à natura accepit alas, quibus toto impetu contendit ad libros, id est, ad organa sciendi, in quibus quae vel ad naturae obscuritatem pertinent, vel exquisitissima subtilitate à Mathematicis sunt inventa, vel optimè à majoribus nostris aut constituta aut gesta, comprehenduntur. Quamobrem optimi condiscipuli, ne videamur degeneres, corde nati non satis recto, sed distorto & depravato, devoremus sanè eruditionis & scientiae primas radices, quae amara nobis videntur. Superemus peregrinorum verborum, ut Latinae & Graecae linguae fastidium, videamusq; quae deinde secutura sit, non modo utilitas, sed etiam voluptas. Cogitemus Graecam Latinamq; linguam fores esse eruditionis. Deinde si per eas in ipsas ades

*ingressi fuerimus, nos suavissimos fructus inventuros esse. Conferamus etiam inter se duos pueros, alterum nugatorem & ociosum, alterum studiosum & occupatum, exactoq; anno putemus rationes, & ad calculum vocemus, quid uterq; è suo vitæ genere fructus perceperit. Intelligemus profectò, si non planè sensibus caremus, puerum studiosum primùm vitijs multis caruisse propter discendi occupationem. Deinde multo & doctiorem & meliorem esse factum, sine ullo detrimento suo, & maxima cum approbatione omnium: Alterius vero ludos & jocos evanuisse, si nullo cum dedecore & damno (quæ tamen vix caveri possunt) at sine fructu & laude. Ego quidem certè non committam posthac, quin pleno gradu ad libros meos properem, ne cujus rei symbolum mihi hodie datum est, eam unquam ingrata oblivione ipse abjecisse videar.*

D I X I.



ORA-


60

# ORATIO SECUNDÆ

CLASSIS, RECITATA

A

IOHANNE IOACHIMO GVVAND-  
SCHNEIDER NORIBERG.



**M**ULTVM *assecutus est, qui benè didicit lo-*  
*qui: non minus assecutus est, qui benè tacere. Itaq, me-*  
*lius fortassis esset, si ut olim Romani sedendo vicerunt, ita ego*  
*benè tacendo conarer existimatiunculam, si quam de me habe-*  
*tis, tueri. Et si enim negare non possum, jucundissimum mihi*  
*esse, ea considerare, quibus imitatio aliqua aut tacita insinua-*  
*tio continetur, ut in hisce Emblematis: loci tamen hujus*  
*amplitudo valdè me naturâ timidiorē debilitat. Veruxta-*  
*men si Camerarijs & Nyxelijs licuit esse disertis, crescat in ipsis*  
*periculis mihi quoq, animus. Cum igitur videam testudinem*  
*istam tardigradam & sanguine cassam, repensè supra librum*

conscendisse, eiq; incubando tandem alas adnatas esse, quibus se libret & in sublime efferat : quid aliud censeam vobis adumbrari, quàm quod sine ulla verborum circuitione nobis quotidie inculcatur : Nos naturâ esse tanquam testudines, terra filios, crassos, rudes, hebetes : at librorum assidua tractatione, & quasi incubatione, ita expoliri & exacui, ut nihil sit tam reconditum, quò non ingenij acie penetremus; nihil tam sublime, quò non pervadamus; nihil tam arduum, quod alis sapientia & virtutis instructi non superemus. Longissimo intervallo absunt à nobis caelestia corpora; at librorum usu efferimur, perpetuamq; eorum vertiginem & celeritatem conversionis insuemur. Observamus multiplices orbium circulos, septemq; erraticas & reliquas inerrantes stellas dimetimur, ortumq; & occasum siderum, & varias modò in Austrum modò in Aquilaniem comutationes admiramur. Insuemur etiam quæ densissimis naturæ tenebris involuta sunt, sive subterraneis in specubus lateant, sive in profunditate maris (magna & arcana natura parte) sensus nostros fugiant, sive in aëre suspensa stupidam plebem hiantem ore ad sese invitent.

Tardæ quidem sunt nostra ad virtutem & sapientiam progressionem, ut hujusce animalis : progressionem tamen : tarda est alarum accretio : accretio tamen. ubi vero semel accreverunt, tum humi non amplius repimus, pudet abjecta hæc & terrea tractare, in ipsam arcem omnis honestatis, omnis gloriæ, sine ullis impedimentis evolumus. Sine libris igitur eorumq; fructu, imperfecta, obscura, humilis est omnis nostra vita : at virtute & honestate, rerumq; admirabilium cognitione animi nostri de celo demissi, & in hunc ostreaceum carcerem conjecti, ad veritatem, omnemq; honestatem rursus informantur, ad originem scilicet suam viam sibi iterum munientes. Ajunt philosophos Platonicos triplex vehiculum animis adscripsisse, Cælestem, Spirituosum, & Crassum hoc corpus, quod à Platone dicitur ostrea-

citar ostreaceum, & ab alijs Sepulchrum anima. Quod si quis  
 virtutibus purgatricibus sese liberet, ne extremo vehiculo,  
 magna jam ei ad summa quæq; parata sunt subsidia. Vnde Zo-  
 roaster praecepisse dicitur: Ne fades spiritum, neq; in profun-  
 dum exaugeas, quod est planum. Plena sunt omnia fabulis,  
 plena sapientum vocibus, quibus vita nostra imperfectio sine  
 fructu librorum, id est, sapientiâ & virtute, adumbratur.  
 Praclare profecto philosophus ille, quicumq; fuit, qui cum in su-  
 am disciplinam puerum quendam suscepisset, & pater ejus in-  
 terrogaret, quid ex eo effecturus esset, respondit: Si nihil aliud,  
 at illud duntaxat, ne theatrum ingressus, saxum super saxo  
 sedeat. Quo dicto significare voluit, nihil inter indoctum &  
 saxum interesse. Alijs addendis nolo ego vobis fastidium  
 augere. Tantum intelligere potui de Emblemate isto. Cui  
 si quid subest magis reconditum, ad id ego ingenui candidiq;  
 animi verbum hoc profiteor, Nescio: discere tamen studebo.

## D I X I.



Q


ORA=



ORATIO PRIMAE  
CLASSIS, RECITATA

2

LEONHARDO DVRNHOFFERO  
NORIBERG.



**E**GO quoque mirificè afficior, non tam munere  
& honore ipso, quàm ejus tacita significatione, cujus jã per  
atatem & auscultationem quotidianam videor mihi esse ca-  
pax. Didici enim hoc ego quoque ex officiis Ciceronis nostri, par-  
va esse foris arma, nisi sit consilium domi. Armis igitur &  
consilio, quæ gladio & libro depinguntur, omnis civilis socie-  
tas & terrarum orbis conservatur & defenditur. Etsi autem  
politici philosophi, qui architecti dicuntur beate hujusce vitæ,  
tres faciant, ut in homine, ita in Repub. principes partes, Agri-  
culturam, rem bellicam, & sapientia studium, quæ hepati, cordi,  
& cerebro respondeant: tamen iidem illi haud inviti fatentur,  
ex solis

ex solis posterioribus duabus tum veram nobilitatem & dignitatem parari, tum summa etiam adjuncta volubili huic orbi adferri. Εἰς τὸ βουμτικὴν enim facultas, qua dedita est alimentis, quæq; ad agriculturam in hominum cætu refertur, longiori intervallò à principibus partibus abest, idcirco ab eisdem illis sapientibus, bestiis istis dicitur similis qua nullam rationis imaginem præseferunt. At vero τὸ δυμοειδὲς, qua animosa pars in corde locatur, & gladio hîc adumbratur, non solum paratior est ad rationem, summam reginam, audiendam, sed etiam non raro pro ea adversus εἰς τὸ βουμτικὴν astum & libidinem depugnat. Deniq; (si possem paulo altius rem excutere) Notum est hominis perfectionem duobus consumi, contemplatione & actione. Actio ea qua sese foras dat, insigniter in hominum oculos incurrit, rerum gerendarum facultate & scientia; ea nobis eximiè gladio videtur adumbrari: at vero contemplatio, libro. Sic duplex constituitur Philosophia, qua est perfectio hominis: theoretica & practica, quarum illa contemplatur divitias sive rerum substantias, hac ad eorum imitationem omnia moderatur. Vnde humana duplex virtus, dianoëtica & ethica; duplex mens, alia ad contemplandas res apta, alia ad agendas; duplex deniq; beatitudinis gradus hîc omnibus respondens. Ea re etiam prudentissimus Virgilius, cum AENEAM omnibus numeris vellet perfectum instituere, facit eum cunctis virtutibus Ethicis cumulatum: in armis omnibusq; rebus gerendis acrem & industrium: Quo

nec pietate fuit, nec bello major & armis.

Alteram partem perfectionis, qua in contemplatione rerum occultarum & admirabilium sita est, non potuit poëta sine ineptiis declarare, nisi voluisset quasi in scholis ostentare Sophistam de rerum natura disputantem.

Quoad igitur fieri decuit, parcè ac sobriè suo more attigit  
id quod magni viri suis commentarijs diligenter docuerunt.  
Mihi quidem una satis sit, quod confragosam illam & maxi-  
mè omnium controversam quaestionem, fecit Aeneas liquidissi-  
mam quippe de anima cum tot tantiq; philosophi, multa qua-  
sierunt, ille neq; pauciora neq; obscuriora scivit, quàm qua ab  
AEgyptijs, Chaldaeis, Indis sapientibus prodita sunt. In sexto  
enim libro qua ignorabat, ita didicit, ut ea postea docere potue-  
rit. A libris igitur oportet petamus primùm multarum ma-  
gnarum verum cognitionem, deinde consilium, etiam sapè or-  
dinem, magna quoq; ex parte prudentiam, oculum illum men-  
tis. A scientia vero rei bellica exequendi facultatem, ut si cœ-  
tus legitimè sociatus injurijs laceffatur, & tranquillitas à ty-  
rannus violetur, ocium armis restituatur. Ex hac istorum  
duorum conjunctione facile perspiciemus, iis in nationibus, que  
bellica gloria claruerunt, etiam viguisse studia doctrina, ut do-  
ctissimi homines prodierunt, quemadmodum omnibus constat,  
in Gracia, qua Persarum innumerabiles exercitus non modo su-  
stinuit, verum fregit quoq; & profligavit. Romana etiam gens  
& belligerendi scientiâ ac fortitudine fuit præstantissima, &  
iis literis, qua rude animos humanitate informant, deditissi-  
ma. Macedonum quoq; tot victoria primum ab Alexandro  
duce fluxerunt. Is enim Asiam perdomuit universam, & ad  
intimos etiam Oceani recessus penetrasse fertur. Deinde à  
Phalange quoq; qua fuit acies in exercitu firmissima. At  
vero hac laus ad libros & consilium magnam partem etiam per-  
tinet. Nam Alexandrum à primis annis disciplina erudit  
Aristoteles, & ad eam tum animi tum ingenij præstantiam  
præceptis Philosophia pulcherrimis extulit, ut etiam minus  
aquo animo tulisse dicatur acroamaticorum librorum, id est,  
reconditoris doctrina, divulgationem. Phalangem vero  
ejusq; artem instruenda, ab uno primum Homeri poëta versu  
manasse

manasse doctissimi homines affirmare non dubitant. Ergo his duobus ita nititur orbis, ut à literis adjuventur arma, & ab armis litera sustineantur: ὁπλίῃ ἐδιδάσκου, ut ajunt, in pulvere suo erudito, Geometra.

D I X I.

GRATIARVM ACTIO,

R E C I T A T A

À

IACOBO GEVDERO

N O R I B E R G.

**R**EM arduam quidem, mihi adulescentulo prorsus difficilem, laudabilem tamen, ac in primis necessariam à me exigis M. D. Rector. Quid enim tam deceat, cum omnem aetatem, tum imprimis adolescentiam, quàm in benè de

se meritos animum gratum beneficiiꝫ, memorem declarare? Etenim ut praclare ait Cicero: Nihil tam proprium hominis est, quàm non modo beneficiis, sed etiam benevolentia significatione se alligatum fateri. Nos adolescentes quidem ingenuè fatemur atq; etiam profitemur, nos & DEO Opt. Max. & Magistratui, & Academia, & hospitibus, summorum beneficiorum vinculis obstrictos teneri. Quapropter etsi gratia quanta debetur, à nobis referri non potest; habenda tamen & agenda omnino est, quantam maximam animi nostri capere possunt. Primum itaq; O Æternè DEVS, principium principiorum, causa causarum, finis finium, tibi gratias agimus & habemus immortales, quod his miserandis temporibus agrum Noricum, inclytum Magistratum nostrum, & hanc Academiam, tam clementer tueris atq; conservas, nobisq; benignè supeditas quacung; ad rectè commodeq; vivendum requiruntur. Imploramus & obtestamur te, ut in posterum quoq; nostra salutis & commodis consulas atq; provideas: Et tum hanc doctrinarum sedem ac domicilium, tum universam regionem Noricam à bellorum, incendiolorum, morborum ac tempestatum calamitatibus tutam & incolumem praestes atq; conserves: ut tibi grata & facere & dicere tamdiu possimus, dum tandem in damnum illam tuam caelestem, omnibus bonis affluentem evocati, tecum a vo fruamur sempiterno.

Deinde vobis Amplissimi prudentissimiq; D.D. Scholarchæ, ceteriq; inclyta Reip. Noribergensis Patres conscripti, vobis inquam gratias agimus maximas, tum pro ceteris immensis beneficiis, quibus Academiam vestram hætenus ornastis & locupletastis, tum pro vestra honorifica presentia, qua hodiernam nostram panegyrim partim eximiè condecorastis, partim etiam liberaliter ac munificè prosecuti estis. Et quoniam hoc jam pridem vestre tribuistis prudentia & humanitati, ut neglectas hoc tempore Musas susceperitis: Tribuite quæso idem constantia



constantia, ut susceptas, & adhuc liberaliter sustentatas, post-  
 hac quoq; foveatis, & quibuscunq; rebus poteritis (potestis au-  
 tem plurimis) augeatis & amplificetis: planeq; vobis persua-  
 deatis, quantumcunq; eruditionis atq; doctrina studiosa ju-  
 ventus in hoc Musarum Emporio sibi comparaverit, id omnè  
 ad nominis vestri celebritatem & illustrationem, atq; ad ditio-  
 nis vestrae utilitatem ac dignitatem conversum iri.

Gratias etiam habemus & agimus vobis, M. D. Rector;  
 vosq; ceteri Professores clarissimi & doctissimi, praeceptores  
 observandi, pro vestra fide, opera & diligentia assiduitate,  
 quam in nobis erudiendis, atq; ad omnem virtutem & huma-  
 nitatem informandis adhibuistis. Pollicemur sanctè, nos non  
 solum sempiternam vestrorum meritorum memoriam invio-  
 latè pieq; servaturos esse, ut & vos perspiciatis, & ceteri intel-  
 ligant, nos, si in referenda gratia, id quod volumus non fueri-  
 mus assecuti, saltem quod debemus maximopere conatos fuisse.

Ad extremum, generosis D. D. Baronibus, & liberalium  
 artium Magistris ac studiosis, itemq; hospitibus ornatissimis,  
 qui spectandi audiendiq; causa huc venerunt, gratias agimus  
 singulares, quod suo jucundissimo conspectu hanc publicam ce-  
 lebritatem exornare voluerunt. Rogamus universos, ut  
 quam benevolentiam erga Academiam nostram nunc decla-  
 rarunt, eam in posterum constanter retineant. Nos vicissim  
 conabimur, ut singulis & universis, eam quam debemus obser-  
 vantiam, ubicunq; opportunitas & facultas feret, cumulatè  
 prestemus.

D I X I

Q 4

PANE-

XIII.

PANEGYRIS, ANNI

1589.


SVB RECTORATU

M. MATTHIAE BERGII  
ETHICI.

*Oratio prima classis, recitata*

à

IOACHIMO à DÖLAVV.



**V**TINAM vero, quemadmodum orationis tuae argumento optimè convenire video symbolum huius nostri donativi, & sculpturae, quae in eo cernitur, argumentum: ita possem etiam ego aliquid dignum loco hoc & ipso isto argumento proferre. Sanè videris

videris mihi quemadmodum Atlas olim Herculem, oneri perquam gravi subdere. Veruntamen quia sic est jacta alea, cogitabo equidem, laudabile interdum haberi, magna suscipere, etiamsi non satis respondeat eventus. ΕΠΙΥΡΑΦΗν ergo donativi mei satis perspicuum est ex poëtarum de Hercule narrationibus depromptam esse. Id enim ostendit Hercules clava elevata iētum intendens draconi longo & tortuoso, arborem pomiferam, malisq; eleganter resplendentem circumplicianti. Vt Hesperidum hortos ab Hercule spoliatos, & mala illa aurea, poëtis multum decantata, ab eodem Hercule ex his hortis ablata, nobis hic indicari non sit dubium.

Horti igitur Hesperidum quares fuerint, si mihi est dicendum, omne genus boni est, quod est homini propositum, & ad q̄ consequendum ille contendere sedulo debet. Hercules hominem refert eum, qui vere homo esse, & dignitatem hujus nominis tueri eiq; satisfacere cupiat. Huic homini scilicet symbolum hoc nostrum præscribit aliquid, ipsi apprimè necessarium observatu: Nimirum (ut Lemma, seu ΕΠΙΥΡΑΦΗ refert) virtutem & ejus merces sudore parari. Cantatissima inquam omnium scriptorum bonorum literis admonitio hîc nobis proponitur de eo, Quòd labore sit ad virtutem & bonas res omnes via querenda. Qua de re cum plurima passim verè & graviter à sapientibus scripta sint, audite quaeso me aequis animis pauca, ut possum per atatem, de eadem balbutientem. Hominem constat ad duas res natum esse, ad intelligendum & ad agendum: idq; ex Aristotele retulit Cicero, qui idem hoc explicat: virtutem hominis, quâ præstat ille ceteris animantibus, vel scientiâ vel actione cerni. Vt ita virtus homini propria duplex deprehendatur esse: Moralîs, & intellectuiva sive dianoëtica. Ex his intellectuiva, tametsi è natura emanat, potissimum doctrinâ tamen excolitur & augetur. Rursumq; moralis à

R

consuetu-

consuetudine atq; usu potissimum proficiscitur, ac tametsi ad  
hanc virtutem natura apti sumus: insita tamen ipsa nobis à  
natura non est: verum à consuetudine agendi perficitur.  
Quomodo id autem? Alius etiam paulo hic mihi assurgen-  
dum videtur. Non eodem modo nobiscum, quo cum aliis ani-  
mantibus egit natura: sed cum illis rationem & mentem non  
concessisset, certum tamen ac decentem, quem ferè semper con-  
sequerentur, finem constituit: Nos tanto tamq; excellenti  
munere, id est, diligentia ipsa donatos eò adigit, primum ut  
in fine deligendo facile decipi possimus, deinde ut in vero pro-  
prioq; fine adsequendo plurimum laboris, plurimum diligentia  
adhibere cogermur, nisi à nostra conditione recedere, atq; in  
aliam, & quidem multo viliores naturam converti vellemus.  
Non enim voluit D E V S hominem ita condere, ut mox esset in  
summo suae felicitatis gradu constitutus: Sed ita, ut ad eum gra-  
dum debitis progressibus produceretur ac procederet. Quam-  
obrem verissimè dixit Prodicus Chius: Tot tantorumq; bono-  
rum, quae nobis sunt collata, non aliam à nobis Deos immor-  
tales mercedem exigere, quàm laborem ac studium. Poëta  
quoq; viam ad virtutem ducentem, per quam virtutem homi-  
nes verè sunt homines, asperam & saxis ac vepribus impeditam  
finxerunt. Et praclarissimè, ut omnia, illud quoq; Aristoteles  
dixit, περὶ τὸ χαλεπὸν καὶ ἀρετῆ ἐστὶ καὶ τέχνη. Et virtus  
& ars omnis circa ea versatur, quae difficultatem habent. Neq;  
est mala Plutarchi sententia, quae dicit: Numen vult sua mu-  
nera ad nos per nostram venire industriam, ne stultum videa-  
tur, si fauceat doni sui contemplatoribus. Atq; haec comme-  
moratio quid nos moneat, perspicuum est: Nimirum, cum  
ab ipsius naturae constitutione hoc sit decretum, laborem no-  
bis non esse detrectandum, sed capessendum, amandum, susti-  
nendum: mollitiem contra modis omnibus vitandam, si bo-  
narum rerum participes esse, si finem eum, qui est hominis pro-  
prius, &

prius, & à quo ille perficitur, consequi volumus. Sed & alia  
 cause sunt, præter modo commemoratam, cur labori sit in-  
 cumbendum, nimirum fructus & utilitates ex eo maxima.  
 Quæ illa vero utilitates? Respondeo: emolumenta vitæ huic  
 præclarè traducenda maxima: Laus, gloria, honor, deniq;  
 suavitas vera: atq; adeo, ut Epicharmus paucis rem con-  
 ficit: omnia DEI dona. Ita enim ille inquit: Pro labore, sua Dij  
 cuncta vendunt hominib; bona. Labor enim & voluptas secun-  
 dum Platonem, societate quadam admirabili inter se devinctæ  
 sunt divinitus, non ita tantum, ut voluptates improbas labor  
 & dolor excipiat infelix, sed & è converso, ut laborem ho-  
 nestum jucunditas honestissima & verissima consequatur.  
 Hoc nostris animis sedulo insideat: hoc nos excitet ad constan-  
 tiam in studiis, ad patientiam, ad tolerantiam in compa-  
 randis, per varios casus discrimina multaq; rerum, opibus præ-  
 stantissimis eruditionis & prudentiæ, virtutis ac probita-  
 tis. Certè omnes sani homines natura ipsius impulsione ita  
 sentiunt, eas res à quibus præclarissima bona promittuntur,  
 omnibus modis esse persequendas.

Hoc igitur fac sedulo cogites, quisquis hac sacra tra-  
 ctas, quæ aliter non constant: & hac cogitatione te confir-  
 ma ad patientiam molestiarum, quas studiorum ratio af-  
 fert. Onerat te labor: atqui onus illud non debet dici, aut  
 molestia, quod te accumulet omni felicitate, fructu, emolu-  
 mento.

Grave est noctes ac dies consumere in opere literario.  
 Atqui gravitatem laboris hujus infinitis partibus supe-  
 rant immensi laboris ejusdem fructus. Gravis res est con-  
 tinuus labor. Atqui ut minima mala quodammodo bona  
 sunt: ita illa mala etiam multo magis, quibus maxima



bona parantur. Hac igitur altera consideratio nos extimulet & atuat, ut labores necessarios promptè subeamus. Cum præsertim etiam illud accedat, quod  $\mu\iota\sigma\theta\omega\upsilon\upsilon\iota$  illi, id est, laboris detrectatores molliculi, quorum omnis sapientia illa est, quod laboris incommoda & molestiam exaggerant, ejusq; detrectandi occasiones exquirunt: hi ergo quod illud fateri coguntur, Fugam laboris ipsis ad vitam nihil addere, siquidem in longa vita felicitas ponatur: cum illud & ratio ipsa doceat, & vita usus exemplis probet, Desidiam & otium inq; voluptatibus omnibus persfruendis assiduitatem, multo magis accelerare mortem, quàm moderatos, & natura convenientes labores: verissimeq; apud Gellium à Catone esse dictum: vitam humanam esse uti ferrum, quod exercendo conteritur, sed cum splendore pulcro. Si non exerceas, tamen interit, sed cum turpitudine: rubigine videlicet illud interficiente. Item homines exercendo videmus conteri, sed cum gloria. Si nihil exerceas, inertia ac torpedo plus detrimenti affert, quàm exercitatio. Atq; hæc omnia si nobis sedulo inculcaverimus, optimè certe nobis consulemus: Tanto quidem certe magis id fieri decet, quanto est, cum omnis aetas, tum præcipuè nostra à labore ad voluptatem proclivior: quanto item verius illud Bionis: Facilis est ad inferos via: clausis enim oculis illuc à nimium multis pervenitur. Ad quod malum corrigendum nihil est certè efficacius aut valentius, quàm laborem ita spectare, ut jam fecimus, Et voluptates item eo modo, ut olim Aristoteles monebat faciendum: ut scilicet eas spectemus abeuntes, hoc est, illud sedulo nobis proponamus quod res est: voluptates per illecebras & blanditias ducere ad precipitium: labores honestos per difficultates ac sudores ad immortalitatem. Itaq; quantumvis arduum ac difficile est iter ad virtutem, primum ac proclive ad voluptatem: nos cum Hercule & puero & adulto potius laboriosam virtutem atq; amœnissimos Hesperidum hortos sequamur, quàm per prona & facilia deli-

*ilia deliciosam & ad interitum ducentem voluptatem. Atq;  
 ita statuamus : cum omni aetate honesto labore ad virtutem  
 contendendum, tum in primis nostra.*

D I X I.


O R A T I O S E C U N D A E

C L A S S I S, R E C I T A T A

à

I A C O B O G E V D E R O

N O R I B E R G,



**Q**UANTOQUAM nihil mihi debet esse antiquius

*M. D. Rector, quàm ut mandatis tuis paream, utq; ea,  
 quæ mihi tuo jussu imponuntur, summa voluntate exequar: tam  
 men non possum non animo cohorrescere, intuens in hunc tam  
 augustum & venerandum confessum, in quo jubeor puer ac pe-  
 nè insans, loqui: Dicere enim quid dicam? Quod si maximus*

R 3 ille apud

ille apud Græcos orator Demosthenes, apud Philippum Macedonum regem orationem habiturus, sic expavit, & animo commotus est, ut paucis admodum verbis expressis penè mutus discesserit: quid mihi in hoc tali talium & tantorum confesso virorum constantis mentis esse potest? Sed reficit tamen & recreat me tua, ô ornatissima corona, consuetudinis pristinae atq; humanitatis recordatio: qua mihi non ignota, facis ut sperem, te, si quid minus ornatè, minus aptè, locoq; ac temporì convenienter dixerim, facile atati veniam concessuram.

Itaq; facessere jussu puerili timore, ad peragendum id operæ, quod mihi publica imponit auctoritas, tua cum veniâ me convertam. Donativi nostri sculptura est sanè perquam speciosa ac præclara. Ensis videlicet strictus, & illi circumvolutus ramus sive hedera, sive olea: nihil enim interest: cum inscriptione tali: Pulchrum clarescere utroq; Quis dubitare potest, quin his duobus symbolicè notentur duo generarum, vitam humanam totam complectentia, Pax & bellum; ac secundum hæc duo genera vita, totidem genera facultatis, sive scientiæ, sive artis: quæ omnem vitam ipsa quoq; complectuntur, sive (ut ait Cicero) quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis: una Imperatoris ars: altera viri politici sive oratoris: Quorum ab altero pacis ornamenta retinentur, ab altero belli pericula depelluntur. His duobus vitæ generibus ut nihil est, omnium sanorum confessione, vel speciosius, vel etiam utilius: Ita illud quoq; est æquè certum, ad utraq; hæc etiam literariam nostram occupationem ac studium pertinere. Sunt enim bona litera, & sapientiâ illa, quæ ex his paratur, parens ac nutricula utriusq; jam dictæ artis, sine omni dubitatione. Eoq; sensu rectè est à Græco poëta Euripide olim dictum: Sapientiâ flos continetur urbium & familiarum: non cithara atq; cantibus. Qui poëta cithara &

ra & cantus mentione eorum vitam notat, qui voluptati & otio inerti indulgent: qui à civium cœtu arcendi sunt, perinde ut membrum putre medicus à corpore amputat, ne sana partes inficiantur. Hippocratis quoq; sententia dicuntur felices populi, qui intelligunt, viros bonos esse ipsis praesidio ac munimento, neq; tam turribus ac mœnibus defendi urbes, quàm sapientium virorum sapienti consilio. Conjugium illud harum duarum praestantissimarum rerum, non est opus ut laudetur oratione mea, per se satis omnium confessione splendidum & commendatum. Quis enim nescit fortitudine militari praestantes bellatores tyrannides abolere, latrocinia prohibere, imperia justa tueri ac defendere? Togatâ sapientiâ rursus priora illa, virtute bellica quasita & parva, tueri atq; conservari, atq; id caveri, ne, quemagnus aliquis ac praestans heros virtute & armis peperit, in pace alij evertant. Deniq; quis dubitet, quin is, qui duo hæc conjunxerit, praclarissimum aliquid adeptus esse dicendus sit, atq; adeo inter homines versari tanquam mortalis quidam Deus? Caterum hæc ut verissima sunt: ita cogitare jam possumus pleriq;: Quid ad me ista? qui non sum ita à natura & aliis rebus comparatus, ut hujusmodi conjugium sperare mihi liceat. Vsq; eò enim aquis animis ac lubentibus homines accipere solent encomia rerum praestantissimarum, dum se quoq; illas consequi, aut earum certe participes fieri posse putant: hæc vero spe ipsis ademptâ, nequicquam laudes ipsis ea, quorum admirandorum atq; capeffendorum precipua causa ipsis deest. Imò vero respondebit hic vir intelligens, & verus rerum aestimator: omnes qui vivimus, & habemus jam, & habere etiam deinceps cogitamus, locum aliquem in vita, quæ vita cum tota duobus illis temporibus, pacis ac belli, duabusq; item illis, quas diximus, sive artibus sive facultatibus contineatur: æquum est.

ut inqualicumq; etiam cum ingenij modo, rùm facultatis ratione, id sibi proponat unusquisq;. Quemadmodum vel in utroq; istorum, vel certè in altero exhibere possit utilem patriæ civem. Qua in parte illud Philippi Melancthonis apophthegma egregium semper animis nostris propositum esse debet: Si non potes esse magnus leo, sis mediocris, & reipub. tamen utilis catulus. Cumq; Philosophia & litera bona ea res sit, qua potest & solet cum ad omnia alia vitæ munia meliorem aptioremq; reddere hominem, tum nihilo minus etiam fortem in periculis adeundis, & sagacem in providendis avertendisq; iisdem; Summâ, cum philosophia sit verissime vivendi ars, magistra morum & disciplina, dux vitæ, virtutum indagatrix, vitiorum expultrix, animi cultura atq; medicina, quâ nihil præstantius, nihil optabilius est homini datum divinitus; deniq; ea res, quæ homines in optimo statu collocare novit, sive in hac, sive in illa parte ex duabus modo notatis Reipublica operam daturus est: Nos hoc intelligentes etiam atq; etiam in partem incumbamus, ut tantum bonum inter nos conservetur, non amittatur, cum multa exempla doceant, doctrina & literarum studia neglecta vel segnius curata etiam, ubi in summum gradum splendoris sui pervenerint, celerius quàm crederetur decidisse: adeoq; cum constet, unâ cum literis bonis virtutem pietatemq; negligenter curata citius extingui, quàm Sol Heracliti, ut est in proverb. Ciceronis. Qua de causa omnibus modis cavendum nobis statuamus, ne quid tale nostrâ culpâ, vel nostræ aetati, vel posteris nostris metuendum sit: operamq; demus, ut florentibus bonis literis ex earum cultu ac disciplina semper suppeditent Reipublicæ tum togati gubernatores prudentes & boni, tum imperatores item ac bellatores fortes atq; industrij. Atq; hoc pacto si & symbolum ipsum & symboli ἑπιγραφὴ, & laudes splendidissimæ, quas doctorum omnium judicia tribuunt conjugio harum duarum sive artium sive facultatum, à nobis erunt accepta; ut  
scilicet



69


scilicet ab illis ad studia nostra amanda, urgenda, persequenda,  
sedulo inflammemur, rectissimè illo fuerimus usi.

D I X I,

O R A T I O T E R T I A E  
C L A S S I S, R E C I T A T A

à

I O H A N N E V V O L F G A N G O  
a b E L R I C H S H A V S E N



**N**OSTRAM *etatem nihil magis decet, quàm pudor, qui vetat causas querere, cum nobis ea partes dentur, ut loquamur tali in loco, in quo nihil puerile locum habere potest. Potius ergo in eam partem me componam, ut obediam mandatis eorum, qui plus intelligunt, dum ipse quoque plus intelligam, quàm nunc per etatem possum. Donativi nostri epigraphæ est sanè mirabilis: Mundus, Pavo, cauda explicata &*

**S** *ad spectu*

aspectu deorsum vergente. Quomodo, quaq̄, consideratione  
quaso hac tam diversa conciliavit imaginis sive Emblematis  
auctor? Id vero exprimit addita epigraphe, Vanitas. Ea vi-  
delicet res nobis hic consideranda proponitur. Ille inquam  
affectus, quem Pavo refert, superbissima avium, formaq̄ sua  
superbiens, quamvis pedum deformitate potius demittere de-  
bens cristas, quam erigere. Illa (ut dicam) in mundo univer-  
so usq̄, quaq̄, oculis nostris obversans vanitas, opposita veritati,  
rei omnium in mundo præstantissima: de qua veritate ita Pla-  
to: Veritas & Diis & hominibus dux est ad omnia bona con-  
sequenda: Cujus, quicumq̄, felix beatusq̄, futurus est, statim ab  
ineunte aetate particeps esse debet, ut ita quam diutissimè &  
verissimè vivat. Haec sanctissimæ rei contraria est vanitas,  
res illa, quâ ut est orbis terrarum usq̄, quaq̄, refertissimus: ita  
est eadem à Deorum immortalium choro alienissima, non mi-  
nus quam invidentia, de qua hoc idem modo laudatus auctor  
pronunciat: in cuius horrendi mali descriptionem si incum-  
bere vellem, rem tentarem longè supra meas vires positam.  
Dicendum enim mihi esset de infinitis pestibus, quæ ex hac  
mala radice expullulant, & quarum plena est universa homi-  
nam vita: in quo argumento exitum non inveniret oratio.  
Ac mihi quidem videtur mystica Evangelica historia sapi-  
entia in verbis Pilati, ut brevissimè, ita verissimè Mun-  
di sensus intimos depinxisse, cum CHRISTO ad ipsius tri-  
bunal stanti, & affirmanti se Regem esse, in mundum ad id  
missum, ut veritati testimonium perhibeat, homo profanus  
& nihil nisi seculum sapiens respondet: Quid est veritas?  
Desipis tu, qui te vera præ cateris videre iudicas, cum omnia  
sint talia, qualia putant & volunt, qui sunt potentiores, &  
qui in sua jura possunt cogere alios: ut nos Romani: aut,  
qui magnopere referre putas, quid sentiant homines de Re-  
ligione, de Deo & virtute atq̄, probitate: cum sua cuiq̄, genti  
sit religio.

Sit religio, suae opiniones, mordicus retenta observataq; à singulis. Deniq; quietiam certò perspectis veris sententiis speres, te revocaturum esse homines ad studium & amorem veritatis, & vera officia: cum omnium mores sint pleni fucorum, doli & insidiarum, cumq; hae pessimae artes maxima premia, maximos honores habeant: & cum is, qui ad contraria nitatur, nihilo plus proficiat, quàm in publico incendio proficere potest unius hominis manu aggesta aqua. Hujusmodi videlicet est iudicium mundi de veritate. Ut proinde merito dici possit:

Vita hominum nihil est nisi fumus, hypocrisis & fraus.

Tale quid mihi videtur haud absurde de hoc nostro symbolo cum cogitari, tum dici. Verum quia hoc pelagus argumenti, ut sic loquar, ingredi, non est opera puerilis: desectam ego ab hoc cursu navigationis meae, & Salomonem, regem sapientissimum, quiq; probè cognitum habeat Mundum, argumentum istud persequi sinam. Cujus illa est vox memorabilis: Vanitas vanitatum & omnia vanitas: nimirum omne id in rebus humanis, unde abest ille, omnis sapientiae principium & medium & finis & apex & fundamentum, Timor Domini. Atq; hac, ut dixi, verissima mihi esse videtur symboli explicatio: verum ego hanc expositionem aliis adultioribus meditando relinquens, ad nos pueros illud deinceps accommodabo. Nos ergo, quia ejus quem hic pictum videmus, quemq; sacre literae in maligno inq; vanitate situm esse dicunt, Mundi portio sumus etiam ipsi, in eoq; vivimus, & victuri sumus, quoad volet DEVS ævi nostri arbiter: adeoq; quia Mundum intra nos habemus, & vero quia audimus, Mundum vanitati esse subditum totum: attendere hic summo operè etiam aq; etiam debemus, Quonam modo nos rectè comparemus, ad benè decurrendū spacium in hoc Mundo nostrum. Et alia quidem aliàs docemur:

Nunc quid ista Favonis explicata cauda, & vero ejusdem deorsum ad pedes respectantis forma considerare nos jubeat, perpendamus. Duo hic meo judicio indicantur, pueris præcipuè necessaria. Vnum, laudis studium, quod ad rectè discendum agendumq; calcar & aculeum subdat, secundum illud poëta latini:

Laudatas ostendit avis Iunonia pennas.

Alterum, pudor sive modestia, qua in agnitione sui suæq; fortis, suæ infirmitatis, actiones cupiditatesq; regat instar habena ac retinaculi: Quod est jam temperamentum εἰλωτιμίας ac modestia, ætati nostræ aequè necessariū, atq; est universæ vitæ necessaria εὐνομίας & εὐχρημοσίας, ut Protagoras dicit apud Platonem, hoc est: AEquabilis quædam & suis numeris scitè congruens constructaq; ratio: ut ne nimis se offerat indoles illa animi humani indomita: sed deprimatur ratione ac pudore liberali, ex agnitione pedum, id est, humanæ conditionis, orto: qui pudor tanquam custos morum frenet animum, & ad officij curam revocet: ut ne id eis eveniat, quod multis officit, quo minus perveniant ad eruditionem justam, quod præmatuè concepta opinione doctrina, remittunt de studio, & intellecto uno aliquo argumento aut parte doctrina, stolidè putant, se sapientiores esse omnibus præceptoribus suis, omnibusq; adèd hominibus. Qualis arrogantia cum ipsa per se est digna odio, tum omnibus salutaribus progressibus ita officit ut quod maxime. O multum laudandos, qui hæc duo ita, ut dixi, conjungunt: animi dico elationem cum humilitate ac modestia. Hæc nos isto symbolo moniti faciamus. Cumq; ad discendum nos esse divinitus vocatos sciamus, discamus artes eas, quibus excolitur præstantissimum rationis donum, purgantes per eas sine doctrina facile cacutientem animæ oculum: ut doctrina exculti dignoscere possimus veras sententias & vera bona à falsis, nec quod maximæ hominum parti evenit, postquam in hæc vitæ, veluti

ta, veluti in specu Platonis, spectra opinionum pro veris sententiis, & umbras inanes pro rebus captaverimus, vanis & infelicibus studiis, tandem in barathrum aeternae miseriae & vanitatis abjiciamur. Discamus intelligere Naturæ opus, divinitus conditum ad nostros usus, cum alios, tum præcipuè eum, ut in illo opere Conditorum admiremur, & ita ad illud Ens Entium, quod unum vere est, & à vanitate omni longissimè distat, adjungamur. Deniq; discamus bonas artes reliquas non ad sumum & fucum, non ad speciem & phantasiam, sed ut verè sapiamus, & ita Deo optimo maximo, rerum omnium Domino, placeamus. ad cuius imaginem facti sumus. Sed jam dudum, puto, Harpocrates mihi digitum tollit, aut potius sustulit. Verbum igitur non addam amplius, nisi ut vos orem, ne huic me a paulo prolixiori commentationi succenscatis.


D I X I.





ORATIO QUARTA  
CLASSIS, RECITATA

IOHANNES ERNESTUS HALLER  
NORIBERG.



**I**N nostro donativo leonem videmus, rictus  
aperto furenti ac minanti similem. In ejus capite manus  
conspicitur, calitus protensa, vel quasi mulcentis caput ejus,  
quem dico, Leonis: vel quasi pilis correptum eum ducentem.  
Puto ego leone significari affectus animi humani: quorum im-  
petus rapidos ac vehementes notum est à sapientibus feris belli-  
cis, leonibus, lupis, canibus, equis non cicuratis sed infrenibus,  
comparari. Ac fortasse etiam adolescentiam, quæ præ aliis  
ætatibus affectuum quasi procellis ac tempestatibus agitur &  
fertur, Leo iste notat. Manus illa è cælo porrecta, & Leonis ca-  
put prensans, Ratio est atq; disciplina divinitus affectuum tur-  
ba præfecta: ita ut magisterio suo illos regat & compescat, itaq;  
in po-


in potestate habeat, nunquam us ex ea potestate exire possint: Quod absq, hoc magisterio fieri & solet, & oportet, cum magno rerum humanarum incommodo. Est enim in animo hominis naturaliter pugna horum duorum inter se: affectuum dico, & rationis: qua in pugna etsi qd est melius nobiliusq, (videlicet ratio) dominetur deteriori (affectui videlicet:) evenit tamen, ut non semper natura lex in hoc rerum conjugatarum ordine administrando observetur. Equus enim ferox & indomitus interdum sine ullo modo excurrens fessorem quoq, vel virum imbecillitate, vel artis equestris imperitia succumbentem secum rapit: quando fertur equis auriga nec audit currus habenas. Hoc ne fiat, disciplina & institutio efficit, qua rationi, aliàs imbecilliori, sese adjungens, unà cum illa violentos & rapidos illos spiritus compefcit ac ducit ad optimam partem, atq, precipitio, in quod alioqui ferrent & ferrentur, avertit. Idq, facit, jam mulcendo eos opportunè, ac palpis convenientibus illorum ardorem mitigando: jam moderata adversatione, tractione atq, impulsione eos in gyrum rationis ducendo: & ita PAVLATIM, ut inscriptio nostri symboli habet, longius ac longius procedit in illorum natura componenda, fingenda, formanda, ad statumq, naturæ hominis convenientem deducenda. Non enim aliter, quàm hoc temperamento severitatis & indulgentiæ, hoc opus, de quo agimus, peragi, aut ad finem optatum res illa deduci potest. Neq, commodi sunt adolescentia regenda illi magistri, qui modum hunc in puerili institutione observare teneq, non didicerunt. Verum de hac peritia, qua in iis esse debet, qui ingenia fingunt & formant, minus decet, ut ego puer loquar: cum presertim satis constet, huic rei præesse apud nos viros tales, qui nòrunt & moderato obsequio, & amabili severitate in ingeniis ducendis uti: quiq, sedulo illud cogitant assequuntur, quod est sapienter à poëta dictum:

Flectitur obsequio curvatus ꝑb arbore ramus:  
Frangas, li vires experiare tuas.

hoc est, qui omni diligentia ac circumsp̄ctione cavent, ne inconsultius resistendo studiis & cupiditatibus ætatis prima frangant magis quàm corrigant, quibus consulere volunt ac debent. Itaq; deinceps potius, quid mihi & hisce meis aequalibus spectandum sit in hoc symbolo proponã, nempe quod ad nos adolescentes potissimum pertineat. Neq; vero tantum oportet, ut magistris nobis opus esse agnoscamus, eosq; admittamus patienter, & promptè libenterq; jussis eorum accommodemus: sed etiam ipsi discamus affectuum malorum intemperias & agnoscere, & maturè cõercere, prius quàm diffundantur in animum, eumq; ex omni parte penitus subigant. Insectus enim cupiditatibus animus (qualis est omnium eorum, qui non à teneris sese cultura accommodant) haud faciliè virtutis & rationis freno regitur. Aversatur enim honestos & salutare monitus, & velut effrenus equus calcib. ac morsibus insultat, sefforemq; excutit & perturbat. Discamus ergò manum illam divinitus protensam, & jam blandè mulcendo, jam durius trahendo nos exercentem, patienter ferre, eiq; nos accommodare. Discamus inquam Rationem, & per eos qui nobis præsumt, & per nosmetipsos etiam, ad optima hortantem magni facere: igniculosq; illius nobis oblucentes exuscitare, excolere, inq; vita & moribus sequi. Affectus autem, quia eos eruere neq; natura humana conditio patitur, neq; fortasse expedit id fieri, ita habeamus, ut eos, cum ad alia forte nos incitant, non mox tanquam clausis oculis sequamur: sed paulatim magis magisq; illis renitamur, eosq; assuefactione ad officium ita paremus, ne illos habeamus ratione valentiores. Ita futurum est, ut ad injusta & rationi contraria facinora perpetranda vel non excitemur, vel si quando excitemur, statim tamen illos motus rationis freno compescere possimus. Quo in studio, si esset hoc tempore in  
omni

omni aetate major diligentia: major quoque esse poterat virtutis  
 & pietatis proventus. Sed quia hac quoque oratio mea aetati  
 minus videtur convenire, ad pensum prius me revocabo: ad  
 illam dico, de Leone eo, quem intra nos gerimus, in obsequium  
 disciplinae adducendo considerationem. Et cum hoc, quod di-  
 co, humana ope sola effici non possit, sed majoribus omnino  
 opus sit praesidiis, Divini nempe Spiritus gratia, cujus unius  
 auxilio illa portenta expugnantur: DEUM precor & precca-  
 bor, ut me & alios aequales meos ita regat & gubernet, ne  
 pars animi melior deteriori succumbat: sed ut in aetate hac lu-  
 brica cultura aurem patientem accommodemus, itaque adolesca-  
 mus in eos homines, qui possint DEO grata dicere & facere.

D I X I.



# GRATIARVM ACTIO,

R E C I T A T A

•

PAVLO SIDELMANNO

NORIBERG.

NULLA res dignior est hac nostra aetate no-  
 strisque studiis, quam ut cum piis & castis Musis conjun-  
 gamus decentes Gratias, hoc est, ut & beneficio affecti agno-  
 scamus hoc, & ingenuè fateamur: Et vero gratiam quoque,  
 quam sinit facultas, sedulo reddamus. Eaque virtus est grata

T

DIO

DEO & hominibus: sicut è diverso ingratitude capitalis est pestis vita humana, DEO pariter & hominibus exosa. Quod cum ita sit, & vitium hoc turpissimum nobis est omnibus modis vitandum, & virtus illi opposita solícite consecrandæ. Quæcirca ego & meo & horum commilitonum meorum nomine Tibi DEVS æternæ, Pater Domini & Salvatoris nostri IESU CHRISTI, cum Filio tuo unico & Spiritu Sancto tuo, uni vero, immortalis, & soli sapienti DEO, ago gratias, non quantas debeo, sed quantas possum animo meo concipere maximas, quod hoc honestissimum bonarum literarum domicilium nobis benignè aperuisti, & semel apertum conservas, ut in eo possimus doctrinâ sapientiæ divinæ atq; humanæ instrui, ad gloriam tuam, & nostram aliorumq; salutem. Teq; rogo toto pectore, tuere & conserva nobis idem hoc bonum: ut per nos & alios rectè institutos edoctosq; propagari possit in genere humano noticia tui, & fiant hic & alibi, quæ sint tibi grata. Ago deinde Amplissimo & prudentissimo Senatui Noribergensi, & Nobilissimis Dominis Scholarchis, Domino item Procancellario viro clarissimo, gratias, quas animus meus capere potest, maximas: cum pro alijs præclaris & amplissimis in nos meritis, tum pro honorifica nobis ipsorum præsentia. Vobis præterea celeberrimi Academia hujus Doctores: Tibi Magnifice D. Rector, & cæteris Clarissimis, reverendis doctissimisq; dominis Professoribus & præceptoribus summa observantia dignissimis, gratias immortales ago: quod fidelitate & industriâ vestrà de nobis benè mereri non desinitis, optimis artibus ac disciplinis nos instituentes, & ad virtutem sedulo ducentes: absq; quo & hodierni diei honore, & multis aliis commodis carere nos oporteret. Nos vicissim vobis, clarissimi viri, præceptoresq; honorandissimi, honorem, cultum, observantiam omnem, ut studio sis adolescentibus dignum est, pollicemur ac præstabimus. Ago deniq; gratias Generosiss

Dominis



*Dominis Baronibus, Nobilibus & studiosis hospitibus, uni-  
versaꝫ huic literata societati: qui sua honorifica presentia &  
confessu gratissimꝫ, actum hunc cohonestârunt & auxerunt.  
Quibus etiam ipsis promittimus obsequia & officia nostra, si-  
miliaꝫ studia vel in consimili re, vel in alia quavis honesta:  
Eaq; sedulo & libenter nos ipsis præstituros pollicemur. Po-  
stremo universam hanc coronam rogo atq; oro, ut si hæc mea  
gratiarum actio verbis est tenuior, quàm pro amplissimi hujus  
confessus dignitate, potius ex animis nostris orationem, quàm  
ex oratione sententiam atq; officium nostrum aestimare velit.*

D I X I




XIIII.  
P A N E G Y R I S , A N N I  
1 5 9 0 .

S V B R E C T O R A T U  
D . D . E D O N I S H I L D E R I C I  
T H E O L O G I .

*Oratio prima classis, recitata*

*ab*

I S A A C O L V S S I O D O R D R A C E N O  
H O L L A N D O .



*VI animantium caterarumq<sup>3</sup> rerum  
naturas investigant & perscrutantur, Auditores  
optimi, ex omnium avium genere Lusciniam  
maximè admirari solent: quod in tam exili cor-  
pusculo vox tam varia, tam suavis, tam clara atq<sup>2</sup> contenta in-  
sit, quod*

fit, quod verno tempore cum arbores frondent, herba pubescunt, quindecim diebus ac noctibus usq; & usq; liquidissimos cantus tenui gutture funditet, atq; intimos audientium sensus incredibili voluptate permulceat. Itaq; & Ovidius scitè canit:

Dulcis amica veni noctis solatia præstans,  
 Inter aves etenim nulla tibi similis.  
 Tu philomela potes vocum discrimina mille,  
 Mille potes varios ipsa referre modos.

Vnde quæso in avicula tam pertinax spiritus? unde vis illa anima contenta tanta, ut una cantus continuatione geminata vocis & contentio & remissio audiatur? unde tam artificiosa, tamq; perfecta Musica scientia? tam ingeniosa modulatio, tam dulcis gratusq; sonus? qui modo in longum continuo spiritu protrahatur, modo verè flectatur: nunc concisa voce distinguatur: nunc intorta copuletur. Quid? cum iterum vocem revocat, & integra comprehensione cantum edit? Quid? cum modulos præter opinionem repente commutat? Quid? cum ipsa tacitè secum jucundè murmurat? nulla profecto tam difficilis, tam varia auditur cantio, quam non exprimat una lusciniæ: plenam, gravem, acutam, crebram, contractam, diffusam, attenuatam, inflatam, continenti aut intermisso spiritu emissam: summam, mediam, imam. Quid plura? tam parvulis in faucibus, tam in angusto gutture, omnia, quæ ars humana multo labore, variis instrumentis, cantionem genera excogitavit, plenè expressa reperiuntur.

Estne vero huic avicula, tam jucunda, tam innocenti suus etiam hostis, Auditores? Est profecto, id quod numisma quoq; nostrum, non obscure indicat atq; innuit. Nam in eo expressa est imago Lusciniæ, viperam velut acerrimum hostem tanto studio & conatu à se propulsantis, ut vitæ periculum potius sub-

itura, quam hostem ad nidum admissura videatur. Est ni-  
mirum hoc naturæ imperium: hac vis & contraria affectio istis  
animalculis insita atq; ingenerata. Nam multis in rebus tum  
animatis, tum inanimatis, naturale quoddam dissidium notare  
& animadvertere licet: id quod exemplis nonnullis planum  
faciamus. Homini infestissimum animal est crocodilus, qui ar-  
te militiam adjuvat, & hausta aqua semitas facit lubricas, in  
quibus homines è Nilo aquam petaturi, si collabantur, eos devo-  
rat, & trunco corporis absorto, caput lachrymis profusi ma-  
ccrat, & id quoq; tandem devorat. Equus adversatur urso,  
& hostem aggressurus eum transilit, saltuq; ipso posteriores cal-  
ces capiti illius impingit: contra vero ursus equi ventrem un-  
guibus petit & scalpit. Sic equus si in lupi vestigium pedem  
ponat, obtorpescit. Aquila dissidium est cum draconibus  
minoribus, itemq; cum Trochilo. Aquilarum pennæ cetera-  
rum avium pennas comminuunt & absument. Araneus exitio-  
sus est serpenti & bufoni, quos aculeo in frontem adacto inter-  
imit. Simius miris modis aersatur testudinem. Acanthis odit  
asinum, & audito eius clamore, ova è nido dejicit: aut pulli ejus  
metu decidunt. Fulpes abominatur milvos. Leo ad Galli can-  
tum contremiscit. Pullus gallinacens vix ovo exclusus, mil-  
vum aut accipitrem procul etiam visum exhorrescit: cum inte-  
rim nec equum nec elephantem reformidet. Lupus solo obtutu  
homini vocem adimit: idemq; agnos tam crudeli odio prosequi-  
tur, ut pulsato tympano lupinis pellibus obducto, greges diffugi-  
ant: & vestimenta ex lana sive ex pellibus agniniis lupi morflu  
violatis confecta, incredibilem pediculorum multitudinem pro-  
creent. Adeo horum inimicitie ne morte quidem extinguun-  
tur. Cancer attactus herba Polypodio chelas abijcit. Vesperti-  
lio ex incense hedera suffumigatione moritur. Vultur ex un-  
guentorum odore interit. Serpens, si ibis alâ tangatur, commo-  
veri non potest: si verò in eum querna folia conspiciantur, emo-  
ritur.

ritur. Sic olores & aquila, corvus & chloris, cornix & noctua, cateraq; multa huius generis animalia, mutuas inter se exercent inimicitias. Sic porro in rebus inanimis quocunq; te animo & cogitatione converteris, exempla comperies. Quercus & Oleaita inter se dissident, ut altera in alterius scrobe reperta elanguescat atq; intereat. Sic Quercus à Iuglande discordat. Sic vitis brassicâ refugit, atq; in diversam partem sese reflectit. Similis inimicitia est inter cicutam & vinum: Cicutam quidem homini venenum est, cicutam verò vinum. Sed quis omnia exempla enumeret & persequatur? Hac pauca ex innumeris delibare placuit, ut intelligeremus, inter Viperam quoq; & Lusciniam nostram, non fortuitum atq; extrinsecus accersitum, sed naturale, idq; perpetuum esse dissidium. Nam ut norunt ij, qui serpentes ad venena paranda consecantur & quarunt, viperæ plerunq; circa cubilia nidosq; lusciniarum reperiuntur: & observatum est, lusciniam conspectâ viperâ mox obmutescere, suamq; dulcissimam cantilenam in queribundam ac lamentabilem vocem commutare. Nec tamen interim nidum deserit & aufugit, sed alarum strepitu, & suis tanquam lamentis, hostem, quantum fieri potest, territare & propulsare conatur. Verùm quando animadvertit, suos conatus fore irritos, nec ulla ratione hostem profligari posse: tunc celeris sagittæ instar magno impetu in hiantes viperæ fauces involat: ac si fortè lethali morsu saucietur, tunc vita sua interitu testatur, se pro viribus elaborasse, ut bestiam venenatam à se suisq; repelleret: maluisseq; mortem egregiam fortiter appetere, quàm in perpetuo insidiarum metu versari. Hoc insigne exemplum, Auditores, nobis ad imitandum propositum esse statuamus. Nam & homo suos & domesticos & externos insidiatores & hostes habet, à quibus pericula metuat necesse est. Corpus quidem hominis non modo senectuti & mori, mille de causis impendenti, sed infinitis

etiam



etiam morbis ac laesionibus est obnoxium, ad qua partim prudenter vitanda, partim aequo animo perferenda, diligenti preparatione opus est: ut nimirum unusquisq; animum habeat DEO dicatum, ejusq; ope fretum, ut moderatè & innocenter vivat: ut quantum fieri possit, ea qua nocitura videantur, declinet & avertat. Sed de corpore nunc non est dicendi locus: Animum hominis intueamur, ejusq; hostes paulo accuratius dispiciamus. Menti autem humana inprimis adversantur tetra inscitia atq; erroris caligo, & prava cupiditas. Caligo discutitur cognitione rerum divinarum & humanarum, qua tanquam luce circumfusa mens facile cernit, quid verum, quid falsum, quid rectum, quid pravum, quid appetendum fugiendum ve sit. Vt enim oculus cernere non potest, nisi res spectabiles Solis luce collustrentur: ita nec mens suas functiones rectè obire potest, nisi doctrinarum lumen ei affulserit. Cupiditas autem prava variè mentem divexat & perturbat: cum videlicet animus aut voluptatum illecebris, aut dolorum facibus, aut divitiarum splendore, aut obscura paupertate, aut honorum siti, aut ignominia metu, aut mortis terrore variè afficitur, & veluti fluctibus perturbationum, in diversas partes agitur, ita ut neq; virtutis, neq; sapientia studiis vacare possit. Etenim ut de avaritia & de ambitione nunc nihil dicam: quanta quæso vis est & incitatio voluptatum atq; libidinum, qua initio quidem velut blandissimæ pellices blandiuntur, sed cum animos occuparint atq; subegerint, dominantur ac tyrannidem exercent, & plurimos ad flagitia & scelera, indeq; in omne genus calamitatum præcipites agunt: ut in amatoribus, & ebriosis aleatoribus cernere licet: qui, ut Phadria Terentianus, prudentes scientes pereunt, nec tamen perniciosum illud jugum suarum voluptatum ulla ratione excutere possunt. Vnde Cicero rectè ait: Nullam capitaliorem homini pestem esse quàm corporis voluptatem. Hac, hac est illa vipera atrocissima, qua

Scholas

Scholas & Academias pervadit : & luscinijs, hoc est adolescentibus insidiatur, eosq; veneno suo inficere atq; corrumpere conatur. Quae cum ita se habeant auditores, neminem vestrum esse puto, qui non omni cura, summoq; studio adversus istos perniciosissimos humanae societatis hostes, nimirum contra ignorantiam pro eruditione, & contra improbitatem pro virtute, acriter & fortiter, atq; etiam si res ita postulet, cum valetudinis & facultatum suarum periculo & jactura depugnandum esse statuat. Voluntas certè, & honestus conatus, magnam habent vim, & quidem in virtutis studio tantam, ut facultas etiam plerumq; illam sequatur. Qui stadium currit (inquit Cicero) eniti & contendere debet, quàm maximè possit, ut vincat : sic qui in literarum curriculo versatur, omni opera & studio elaborare debet, ut eximiam sapientiae & virtutis laudem consequatur. Quod si ea vis ingenij, ea subsidia facultatum, ea corporis vires, ea hominum studia non suppetunt, ut optatus labori respondeat eventus : non iccirco animus remittendus est, aut abjecta hasta de statione decedendum. Nam (ut pereleganter Simplicius scribit : τὸ κριτὸν ἐν ἐν τῇ προαίεσι, ἀλλ' ἐν τῇ προαίεσι ἐστὶν). Id est, Rei benè gesta laus, non ex eventu, sed è consilio & voluntate ponderanda est. Atq; ut nostrum symbolum habet :

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.

## D I X I.



V O R A.

ORATIO SECUNDAE  
CLASSIS, RECITATA

HIERONYMO SCHALLERO  
VVITBERGENSI.



**I**TER adolescentia non minus incertum esse,  
quam serpentis viam in rupe, & navis vestigium in mari, &  
avis volatum in aëre, nisi divinitus gubernetur, sapiens quidam  
Hebraeus affirmavit. Cum enim autore Platone, & teste experi-  
entia, homo sit animal natura mutabile: quid de adolescentia  
sentiendum est? quae & propter calorem aetatis, & humorum  
mutationem, & importunos affectus, & rerum imperitiam, fa-  
cilime in hanc illamve partem impellitur: sed facilius in dete-  
riorem. Est enim hac aetas in primis prava cupiditati obnoxia,  
quae illecebra est turpitudinis & escamalorum, quae improvidus  
adolescens facile capitur, nec tamen se captum sentit, nisi cum  
imprudencia poenas luit. Atque huius rei imago in Brabco no-  
stro

stro proponitur, in quo leopodem spina confixum ostentans cernitur, cum hoc Emblemate: Saucius erro. Quod symbolum ut exactius intelligatur, opera pretium fuerit ex Aeliano & Gellio repetere historiam Androdi servi, quem fugitivum leo in Africa triennio aluisse, & postea feris obiectum (inter quas fortuito, idem leo tùm captus erat) adversus pantheram defendisse fertur. Cum à senatore Romano servus, cui nomen Androdus erat, aufugisset, ut tuto deinceps latere posset, in solitudines sese contulit: ubi cum solis ardores perferre non posset, in speluncam refrigerandi recreandiq; sui causa secessit. Erat autem specus iste latibulum leonis, qui tùm aberat, ferasq; persequabatur. Hic cum à venatu pede graviter sauciato, rediisset, atq; in juvenem incidisset: ipsum blandè ac mansuete aspexit, & tanquam vulneris curationem ab eo flagitaturus, pedem saucium ipsi porrexit. Servus etsi primum toto pectore tremebat: tamen animadversa leonis comitate, cognitoq; pedis morbo, seipsum collegit, animoq; erectiore esse cepit: mox itaq; spinam, qua leo confixus erat, è pede extraxit, cruorem absternit, omnemq; doloris acerbicatem ita mitigavit, ut leo pede in manu Androdi posito, aliquantisper incubuerit ac conquieverit. Sed & σῶστρον seu premium curationis medico suo persolvit. Nam quascunq; feras cepit, eas cum Androdo communicavit; atq; ad eò tam gratus, acceptiq; beneficij tam memor fuit, ut & hospitium & victum homini benè de se merito prabuerit. Verùm Androdus triennio ita exacto, habitationis & solitudinis satietate atq; fastidio affectus est: Itaq; specum absente leone tandem reliquit ac demigravit. Sed cum vix tridui inter confecisset, a militibus captus & vincētus, Romamq; deductus est, ubi ab herero suo de admissio facinore reus factus, capite damnatus est, ut bestiis dilaniandus obficeretur.

Cumq; jam ad pugnam cum bestiis committendam intruderetur, ecce leo quoq; qui omnium atrocissimus ac sevis-  
 simus habebatur, hominis antehac hospes, & non ita pridem captus, cum  
 alijs immanissimis bestiis in theatrum immittitur: qui simulatq;  
 Androdi praesentiam animadvertit, primum velut admirati-  
 one obstupefactus, substitit: sensim deinde ac pedetentim ad  
 hominem accedit, cauda blanditijs cum permulcet, & pedes  
 manusq; ejus leniter lambit, nihilq; prorsus praetermittit, quod  
 ad hominem metu propè exanimatum erigendum & confir-  
 manlum pertinere videatur. Androdus incredibili illa leo-  
 nis humanitate perspecta, respirat, atq; in spem meliorem indu-  
 ctus, leonem vicissim alacrioribus oculis intuetur: atq; ita alter  
 alteri lato vultu de mutua recognitione quasi congratulatur.  
 Interim cum Panthera hominem invadere conaretur, Leo ho-  
 spitem suum non modo à laniatu defendit, verùm etiam Parda-  
 lum discerpit atq; dilaniat. Hoc spectaculum summam admira-  
 tionem spectantibus movit. Et Caesar (seu quis alius fuerit,  
 qui hoc spectaculum exhibuit) Androdum ad se accersivit, ex  
 eoq; tem uni versum penitus cognovit: qua cum passim deinceps  
 divulgaretur, universus populus acclamatione sua & servum &  
 leonem libertate donandum esse significavit. Itaq; Androdus  
 non solum crimine absolutus, & in libertatem vindicatus est;  
 sed etiam leo totius populi suffragiis ei donatus est: quem cum  
 postea tenui loro vinctum tota urbe circumduceret: homo qui-  
 dem aere cumulatus, leo verò floribus liberalissimè conspersus  
 est, & obvij quicq; acclamarunt:

Hic est leo hospes hominis: hic est homo medicus leonis.  
 Haec insignis historia, Auditores optimi, de duabus potissimum  
 rebus nos monet. Primum de vitis atq; erroribus nostris ma-  
 turè corrigendis: deinde de gratia bene meritis persolvenda.  
 Nemo quidem in hac mortali vita reperitur, qui in tanta inge-  
 nij caligine & imbecillitate virium ac pravitate voluntatis, in-



ter malorum insidias atq; iniurias, & multiplices fortuna procellas, non saepenumero erret, impingat, labatur: sed tamen omni cura providendum atq; enitendum nobis est, ut, si virtutem perfectam assequi non liceat, saltem sequamur, & ad eam aspiremus. Et si enim humanum est errare, neminus tamen, nisi insipientis est, in errore perseverare. Quod si igitur nos errasse intelligamus, statim de erratis ac delictis etiam minimis corrigendus cogitandum est. Nam qui in parvis sibi ignoscit, paulatim ad maiora progreditur, donec in omnem turpitudinem prolapsus nec decus nec honestatem curet. Quod si vero à nobismetipsis medicinam impetrare non liceat, tùm fidelis prudentisq; viri monitis opem quarere debemus, à quo ad salutem reducamur. Quemadmodum enim leo noster saucius tantisper oberravit, dum in hominis conspectum incidit, atq; ab eo vulneris curationem efflagitavit: Ita adolescens, qui in vitiis & erroribus vulnus accepit, conquiescere non debet, donec in bonorum ac prudentum virorum consiliis & admonitionibus salutarem animi vulnerati medicinam inveniat, qua inventa omni studio cavere debet, ne denuo cupiditate victus in aliquam turpitudinem relabatur: atq; ne vulnus, quod consanuisse videbatur, maiori cum periculo recrudescat. Reliquum porro est, Auditores, ut de altero historiae nostrae fructu, qui ad gratiam benè meritis persolvendam pertinet, breviter dicam.

Hoc namq; nostrum potissimum munus atq; officium est, ut memoriam acceptorum beneficiorum perpetuò conservemus: & ijs qui de nobis benè meriti sunt, gratias debitas habeamus, & verò, quantum in nobis est persolvamus. Sic enim & accepta beneficia tuebimur, & amplioribus muneribus ac donis augebimur. Nam gratia parit gratiam, & animos alios aliis necit, ac singulari inter se benevolentia devincit atq; conglutinat: adeo ut animus m. m. & gratias nunquam premio careat: sed eo-

rum genere bonorum ornetur ac cumuletur, quorum memori-  
am in violatè pieq; conservat. Athenienses olim sanam Gra-  
tias in media urbe dedicarunt: Quo indicarunt, omnem civilis  
societatis rationem Gratiarum quasi quodam numine contine-  
ri. Est enim in animis gratis magnum quoddam Iustitia munus,  
& firmum Republicæ præsidium. Nec enim ullum est majus  
concordiæ vinculum gratiâ atq; remuneratione. Itaq; Deus in  
primo Levitici cap. quod ad hominum convictum pertinet, pro-  
posito præmio mortales ad remunerationem allicit & invitat.  
Idem ipsa natura docet, nosq; exemplo suo ad beneficij accepti fi-  
delem gratamq; memoriam tacitè allecât. Nonne agri fertiles  
multo plus afferunt, quàm acceperunt? Intueamur bestias, an  
non in immanissimis quoq; tam eximia virtutis simulacra &  
vestigia animadvertere licet? Vrbs fuit in Achæa, cui nomen  
fuit Patræ, in qua (ut Aelianus scribit lib. 13) puer quidam Dra-  
conem emerat & educarat: cum quo non aliter atq; cum intel-  
ligente colloqui & lustrare, & unâ etiam dormire consuevit.  
Cum vrò Draco ad ingentem magnitudinem excrevisset, è ci-  
vitate in solitudinem dimissus est. Aliquot annis post, cum  
puer adolescens factus, & cum sodalibus suis è spectaculo rever-  
sus in latrones incidisset, & clamores edidisset: ecce præter opi-  
nionem draco præsto fuit, & alios in fugam vertit, alios inter-  
emit: puerum verò salvum & incolumem conservavit. Sic  
Panthera bestia truculentissima, cum sorte (ut Demetrius phy-  
sicus autor est) catulos suos in fossam delapsos, attollere non pos-  
set, ad hominem tandem, quem è longinquo conspiciebat, sollici-  
ta ac veluti supplex accurrit, eum toga leviter apprehensa ad  
fossam adducit: & miris blanditijs nutuq; anxio, quid fieri cu-  
peret, significat. Mox catulis educâ, hominem per deser-  
tissimas valdeq; periculosas solitudines comitatur, à reliquis be-  
stias eum defendit, nec ab eius latere discedit, donec in loco tuto  
collocet, & nutu blandissimo tanquam gratis actus dimittat.

Quod

Quod si bestia rationis & orationis expertes erga benè de se meritos iam memores grati atq; sunt: quanto magis homo imago divine mentis hanc pulcherrimam virtutem, quam vulgò Grati- tudinem vocant, colere atq; exercere debet? Quamobrem, A- dolescentes ornatissimi, quemadmodum leo noster, simul atq; sauciatus fuit, vulneri suo medicinam quasi vit, ac invenit; & verò medico curationis pramium liberalissimè persolvit. sic nos quoq; erroribus nostris remedia maturè comparemus, hoc est, prudentum & doctorum virorum consilia & monita admitta- mus: errores nobis eripi, mores depravatos nobis corrigi, non solum a quo animo feramus: sed etiam pro acceptis salutaris do- ctinae beneficiis gratias debitàs habeamus, agamus, & quibus- - - - - bus fieri possit, memori mente persolvamus.


D I X I.



ORA-

ORATIO TERTIAE  
CLASSIS, RECITATA

CHRISTOPHORO CAMERARIO  
N O R I B E R G.



**I**n nomismate quod ego aliq<sup>3</sup> nonnulli ordinis  
mei adolascensentes accepimus, Auditores humanissimi, affabrè  
expressa est rupes gladio præacuto transfixa: cui hoc lemma ad  
iunctum est: Acuit ut peneiret. Quo admonemur, nihil esse  
tam altum, nihilq<sup>3</sup> tam durum & asperum, quò ingenij humani  
vis & acumen penetrare non possit. Sed ut ferrum per se rupes  
sive saxa incidere & insicare non potest, nisi prius acuatur: Ita  
nec ingenium rude & incultum res subtiles atq<sup>3</sup> reconditas vi  
sua perspicere, earumq<sup>3</sup> difficultatem superare potest, nisi doctri-  
na & labore tanquam duabus corticulis probè exacuatur. Do-  
ctrina autem appellatione nunc intelligo Grammaticam, Logi-

cam & Rhetoricam, quæ omnium scientiarum & disciplinarum quasi famula quadam atq; ministra sunt. Et quoniam earum usus tam longè lateq; patet, quam vitæ humane fines proferuntur: Idcirco cuiusq; naturam sigillatim inspiciamus, ut quantum unaquaq; ad adolescentum ingenia axacuenda valeat, perspicuum fiat. Ac primum quidem Grammatica cuiq; discenti maximè est necessaria, quæ pura & emendatæ orationis magistra, rudibus ad omnes doctrinas viam patefacit. Estq; reliquarum tanquã radix & fundamentum. Nam ut arbores absq; radice vigere & consistere non possunt: sic absq; hac arte nullã aliã doctrina adolescere & maturefcere potest. Et quemadmodum<sup>n</sup> substructionis fundamentum firmum ac stabile esse oportet, ceteroquin quicquid superstruxeris corruet: sic nemo ullam excellentis doctrine laudem assequetur, nisi prius Grammaticã bene cognitã gradum ad reliquas artes sibi pramuni verit. Vnde apud antiquos tantum autoritatis fuit Grammaticis, ut de omni scriptorum genere liberè iudicarent, ac proinde Criticorum nomen adepti fuerint: In quibus Aristarchus censoria severitate celebris, maximum jus habuisse dicitur.

Logica autem benè docendi ac disputandi rationem docet, quæ ex notis ignota, vel opinando, vel sciendo consequimur. Hæc rem definicndo explicat, eamq; in partes exactè distribuit: argumentum ratione concludit: consequentia & repugnantia videt, ambigua distinguit, & in omni sermone quid verum, quid falsum, quid verisimile, quid absurdum sit, animadvertit. Itaq; non absq; causâ ἔργων ἐργάνων καὶ χειρῶν τῆς φιλοσοφίας, hæc est, instrumentum excellentissimum & manus Philosophiæ inscribitur: Et autore Platone oculos humanos in barbarico cæno defossos sensim atollit atq; abtergit, ut in iudicando acutius cererere queant. Ad hæc Logica est fundamentum eloquentiæ. Nam hæc dicendi finis est persuadere seu fidem facere. Fi-



des autem vi argumentorum & copia exemplorum sit. Logica verò docet, unde argumenta sumenda sint, quomodo concludenda, quo item artificio exempla tractanda, usq; adeo ut sine Dialectica praesidio omnis plerorumq; oratio inepta, jejuna, exanguis, enervata merito censeatur.

Quid porro de Rhetorica dicam? Cujus vis & dignitas tanta est, ut nihil pulchrius, nihil praeclarius, nihil utilius, nihil deniq; homine dignius esse videatur. Quid enim tam admirabile, tamq; jucundum auditu, quam gravibus sententiis ac splendidis verbis ornata & perpolita oratio? quid tam potens atq; magnificum, quam voluntates allicere, & animos in quamcunq; velis partem oratione permovere? quid ad scholas, ad Ecclesias, ad respublicas constituendas moderandasq; efficacius, quam sapientia comes Eloquentia? Haec enim jacentes excitat, afflictos recreat, languentes stimulat, vigilantes inflammat: bonis premia constituit, improbis pericula denunciat: hac populi sive ad seditionem concitati, sive ad pravas opiniones, corruptosq; mores prolapsi, motus ad obedientiam, ad veras sententias, ad vitam probatam revocat. Quid enim aliud est, quam dicendi prudentia? Prudentia autem usus tum in verbis, tum in factis consistit, ut nimirum & prudenter dicamus, & prudenter agamus, quorum in utroq; olim omnis laudabilis disciplina posita erat, ut autor est Homerus, apud quem Phœnix ait: Achillem sibi à patre Peleo traditum fuisse, ut illum & verborum oratorem, & rerum actorem efficeret:  $\mu\delta\delta\alpha\rho\tau\epsilon\ \epsilon\pi\tau\eta\rho\ \epsilon\mu\delta\alpha\iota,\ \omega\sigma\eta\kappa\tau\eta\rho\alpha\ \tau\epsilon\ \epsilon\pi\gamma\omega\rho.$  Deinde Eloquentia praecipuum humani ingenij decus est & ornamentum, quo homo non solum ceteris animalibus prestat, sed etiam reliquis hominibus antecellit. Hinc rectè Cicero dixit: *Vt hominis decus est ingenium, sic ipsius ingenij decus est Eloquentia.* Itaq; apud veteres in summo honore atq; pretio fuit. Nam & summi principes, cum non minimū dignitatis suae praesidium in dicendi facultate constitutum putarent, Elo-

quent-

*quentia operam dederunt. Certè constat, Philippum Macedo-*  
*nia regem, ejusq; filium Alexandrum, dicendi laude floruisse. In*  
*liberis autè populis ac civitatibus semper illa regnum obtinuit:*  
*adeò ut nemini princeps in ijs daretur locus, nisi eloquentia glo-*  
*ria excelleret. Nam ut Athenas ceterasq; Græcia civitates nunc*  
*præterea, Romæ profectò tantùm valuit eloquentia, ut nemo,*  
*quãvis nobilitate, rebusq; gestis clarus & insignis, consideret fa-*  
*cilem sibi aditum ad summos honores patefactum iri, nisi dicen-*  
*di laudè cum militari virtute conjunxisset. Hinc Claudij, Lelij,*  
*Scipiones, Galba, Catones, alijq; multi in dicendo principes exti-*  
*terunt, & tandè Cicero tam absolutũ eloquentiæ specimẽ dedit,*  
*ut eam ob causam Romulus Arpinus in foro regnare diceretur.*  
*Neq; verò, postquam Respub. regio dominatu gubernari cepit, &*  
*eloquentiæ studia interciderunt. Nam ut de Iulij Casaris elegan-*  
*tia nihil dicã, Octavianũ certè dicendi laudè præstantè fuisse cõ-*  
*stat. Imò ne tyranni, ut Caligula, Nero, Domitianus, & alij hac*  
*dicendi facultate caruerunt. Verùm & posterior ætas multos*  
*eximios viros tulit, qui artem dicendi omni studio coluerunt: nec*  
*nostra memoria desunt, qui in ea excolenda & locupletãda mul-*  
*tũ opera studijq; ponunt. Atq; adhuc unã coticulã, qua humani*  
*ingenij vis acuatur, breviter adumbravi. Consequens nunc est,*  
*ut de altera, hoc est, de labore & industria, quàm brevissimè di-*  
*cã. Multũ quidè valet institutio; sed nisi labor rerũ effector o-*  
*ptimus, accedat, finè nobis præstitutũ assequi non licebit. Labor*  
*autè iste duobus potissimũ officijs constat, quorũ alterũ in audiẽ-*  
*do, alterũ in cõmentando positũ est. Quicunq; igitur ad eruditio-*  
*nis & virtutis laudè aspirat, is primùm quàm diligentissimè præ-*  
*ceptores & professores audiat, & quæ memoria digna audierit,*  
*ea vel scriptis mandet, vel, quod longè commodius est, memoria*  
*imprimat atq; infigat, & frequenter repetat, assiduaq; medita-*  
*tione ita confirmet, ut excidere ex animo, atque effluere non*  
*facile queant. Neque enim memoria semper est fida*

rerum perceptarum custodia. Itaq; sapientissimus Plato rectè  
monet: δὲς καὶ τοῖς τὸ καλὸν. hoc est, bis aut ter, quod pulchrum  
est, repetamus. Nihil enim in bonis ingeniis diuturnum est,  
nisi quod assidua commentatione nobis familiare, & quasi do-  
mesticum efficiatur. Neq; enim ulla in nobis scientia inest, nisi  
quæ per habitum (ut philosophi loquuntur) hoc est, per diutur-  
nam consuetudinem in animis nostris penitus insederit atq; in-  
veterarit. Deinde (quod alterum laboris caput est) adolescens  
scriptioni sese dedat: quæ quantum utilitatis afferat, ostendit  
Crassus apud Ciceronem his verbis: Caput est quod minimè faci-  
mus (est enim magni laboris, quem pleriq; fugimus) quàm plu-  
rimum scribere. Stylus optimus & præstantissimus dicendi  
effector ac magister, neq; injuria. Nam si subitam & fortuitam  
orationem commentatio & cogitatio facile vincit: hanc ipsam  
profectò assidua ac diligens scriptura superabit. Quapropter  
adolescens quotidie aliquot horas in scribendi exercitatione po-  
nat: ita tamen, ne quicquid sub acumen stylo subierit, temerè  
admittat: sed diligentem rerum atq; verborum delectum ha-  
beat: detq; operam, ut oratione utatur pura, dilucida, aperta, e-  
legante, distincta, ornata, qualis est Ciceronis, qui inter reliquos  
oratores velut Hesperus inter stellas, aut velut inter ignes Luna  
minores eminet: Itaque præ ceteris etiam amandus, diligentissi-  
mè evolendus, studiosissimè imitandus est. Atq; adhuc de  
utraq; cotricula, arte videlicet atq; labore, quibus rudia ingenia  
ad philosophiam omnemq; liberalem disciplinam acui possint, à  
me dictum est. Quod si igitur, adolescentes optimi, rupes sive  
fixa insicare ac penetrare, hoc est, omnes difficultates, quibus  
naturares magnas circumsepit, superare, atq; sapientia & vir-  
tutis laudem adipisci cupitis: necessum erit, ut gladios, hoc est,  
vestra ingenia acuat, id est, artium dicendi cognitione & au-  
sultationis scriptionisq; assiduitate exerceatis & perpoliat, &  
pleneq; vobis persuadeatis, nihil esse tam arduum ac difficile,  
nilq;

nilq̄, tam alte à natura positum, quò doctrina viam non mon-  
stret atq̄, aperiat, & quò labor & industria eniti ac pervenire  
non possit.


D I X I.

O R A T I O Q V A R T A E

C L A S S I S, R E C I T A T A

à

C H R I S T O P H O R O F V E R E R O  
N O R I B E R G O.



**N**EMINEM in hac amplissima corona, cate-  
raq̄, circumfusa multitudine, esse puto, Rector Magnifice,  
qui instituti nostri rationem ignoret, nec causas perspiciat, cur  
nos quatuor adolescentes è reliquo grege discipulorum evocati,  
atq̄, in hoc loco ad agendum amplissimo, ad dicendum ornatissi-  
mo, collocati simus. Itaq̄, prolixiori officij nostri commemora-



ratione & commendatione prætermissa, ad Emblemata nostra aggre-  
diemur, & quàm brevissimè ac planissimè licebit, ea explica-  
bimus. Illud modo, antequam ulterius provehar, à vobis audito-  
res humanissimi, summoperè peto, contendoq; ut quando omne  
nobis perfugium in vestra humanitate situm est, tenuitatem no-  
stram vestro favore sublevetis, atq; non aures modo, sed men-  
tes quoque attentas nobis paulisper adhibeat. Atq; ut ego  
quidem hinc exordiar: In brabeo, quòd mihi jam Amplissimè-  
rum Scholarum munere datum est, vover insignitus atq;  
impressus extat, cum hoc Emblemate: Splendescit in usu, Quo  
nihil aliud innuit & indicari videtur: quàm exercitatione u-  
suq; res cupètas & meliores & splendidiores fieri. Nam sive  
animus, sive corpus usuearis, & vel literarum studia, vel vi-  
ræ regendæ rationem consideres, exercitatio ista ad singula ista  
tùm augenda, tum exornanda, incredibilem vim & facultatem  
habet. Animus quidem exercetur, & poltior splendidiorq;  
evadit, si assidue aut aliquid doctrina & virtutis accedat, aut  
aliquid vitiorum atq; inscitia decedat. Nominis enim sum-  
mum decus & ornamentum est virtus & sapientia, quæ utraq;  
eum informat, & exornat, ut & intellegat, quæ in hoc mundo  
tanquam in amplissimo amphitheatro, summus rerum opifex  
Deus intuenda cognoscendaq; proposuit: & verò agat ea quæ  
rectæ rationi sunt consentanea. Neq; verò ullum ingenium  
tàm excellens, tamq; perfectum reperitur, quin cessatione ac in-  
termissione usus & industria languescat & minuatur. Quic-  
quid enim negligitur, aut parum curatur, quamvis per se opti-  
mum pulcherrimumq; sit, brevi temporis spacio obsolescit &  
inertis: ut cum in vestibus ac aedificiis, tum verò ac multo  
magis in adolescentum ingeniis animadvertere licet. Iud verò  
etiam doctissimi homines, cum de suis studiis remittunt, mul-  
tarum rerum obliviscuntur, atq; ad præstanda doctrina officia,  
sive dicendo, sive scribendo, & tardiores & ineptiores fiunt.

Idem



Idem accidere solet bonis viris, quando probitate sua nimium freti paulo securiores esse ceperint: tum enim facile vel voluptatibus capiuntur, vel à pravis animi affectionibus superantur. Nam ut ager nisi colatur, sentibus & noxiis herbis obducitur: sic animus nisi virtutis doctrinæq; studiis assidue exerceatur, pravis opinionibus vitiosisq; cupiditatibus inficitur ac depravatur. Iam verò & corpus, cui arctissima cum anima necessitudo est, exercitatione opus habet. Hac enim incorruptam valetudinem tuetur, morbos propulsat, omnes nervos, omnia membra omnesq; sensus, vires & facultates corporis auget, confirmat, atq; expeditiores ad quævis negotia obeunda facit. Contra verò ignavia ac desidia vires enervat, sensus debilitat, sanitatem affligit, & totum corpus morbis obnoxium, & ad omnes vitæ actiones languidum ac ineptum reddit. Id quod partim ex desidiis, partim laboriosis hominibus cognoscere licet: quorum illi vitiosis humoribus pleni, calculosi, podagrici: hi verò integri, robusti, sicci & sani sunt, vitæq; diuturnitate illos plerumq; superant. Quod cum prudentissimus Cicerone prospiceret, valetudinis suæ infirmitatem certo passuum numero correxit ac confirmavit. Sic Demosthenes quoq; in subterraneo conclavi, semiraso capite meditatus est, gestus corporis ad speculum ingens formavit, & strictum gladium de lacunari supra humeros suspendit, Satyro histriioni se erudendum tradidit, lapillis linguæ subjectis balbutientem emendavit, imbecillitatem spiritus arduo ascensu ingrediendo & aliquid recitando correxit: ad fluctuum murmur ventorumq; turbines declamitans concionis procellas, hoc est, tumultuantem & obstrepentem populum atq; exhibentem contemnere didicit. Quæ mirabiles ac propè incredibiles exercitationes Demostheni non ad eloquentiam solumtaxat, sed etiam

ad sanitatem ac vires corporis haud dubiè profuerunt. Apud Persas oportebat adolescentes ante pratoria excubare, ac magistratibus praesidio esse in omnibus ijs, quae mandarentur, exequendis. Ad haec exercebantur sagittis iaculisq; mittendis, pane, nasturcio, & aqua potu contenti, quae victus ratio adeò erat tenuis, ut & anhelare, & expuere & emungi publicè turpissimum haberetur. Apud Graecos Lycurgi legibus sancitum erat, ut perpetuis laboribus iuventus exerceretur, Lex Draconis capitali poena otiosos mulctabat: Solon ignominia eos notabat. Sed & Romani sua habuerunt Gymnasia, quibus iuventus exercebatur, atq; ad bellicos labores, quibus patriae fines longè lateq; proferrì possent, institueretur & assuefieret. Sed quorsum haec commemorantur? quorsum? ut intelligamus, sapientissimas gentes omnem adolescentiae rectè instituendae rationem in labore posuisse: & nihile esse tam rude ac impositum, quod usu & exercitationis assiduitate non expoliatur & splendet. Nam ut vomer sulcis imprimendis attritus splendet: sic ingenij corporisq; vigor negotiis tractandis excitatur, augetur ac enitescit. Contra verò, ut ferrum, si eo non utaris, rubigine obducitur, atq; exeditur: sic ingenia quoq; ignavo inertiq; otio hebescunt & pervertuntur. Quae, cum ita sint, Auditores optimi, communitè sensu carere videbimur, si non otium atq; desidiam, tanquam animi corporisq; pestem, omniumq; vitiorum nutriculum, vitemus ac detestemur, omniq; studio elaboremus, ut usu atq; exercitatione splendescere, hoc est, virtutis & doctrinae nitorem ac splendorem vel in foro & iudicio, vel in magistratu & curia, vel in scholis & Ecclesiis Christi, vel deniq; in alijs Reip. locis obtinere atq; tueri possimus.

D I X I.

P A N E.

XV.

PANEGYRIS ANNI

1591.

SVB RECTORATU


D. D. EDONIS HILDERICI,

gerentis vicem D. Indeny.

*Oratio primæ classis, recitata*

IOHANNES VVOLFGANGO

ab ELRICHSHAVSEN.



**C**UM Academia huius consuetudo & institutum, Rector Magnifice, jubeat adolescentes, qui tum e classe prima ad publicas Acroases, tum ex inferioribus ad superiores reliquarum classium ordines ascenderunt, ratio-

rationem aliquam sui profectus publicè recedere: idq; pro suo iure nunc nobis imperes: parebo & consuetudini & voluntati tua: & quidem tanto libentius, quanto magis optata atq; idonea ad dicendum materia mihi proposita est. Explicandum est enim Emblemata Brabei, amplissimi oratorum Scholarum manere mihi liberaliter tributi: quod etsi eiusmodi sit, ut copiosam orationem requirere videatur: tamen, quia temporis habenda est ratio, quam brevissime planissimeq; potero, id exponam, in spem certissimam adductus, fore, ut quicquid tùm à mè, tùm à reliquis meis condiscipulis hoc in loco dicetur, si minus elaboratum ac perpolitum, at certè non ingratum, vobis videatur.

In altera itaq; nomismatis mei parte effigies atq; imago arboris procera extat, in cuius cacumine corona cernitur, ad quam adolescens arduo difficiliq; ascensu contendit, eamq; manūprehendere & auferre studet. Ad radices arboris serpens eminentibus oculis, inflato collo, tumida cervice sese attollit, qui adolescentem sibilo morsuq; ab ascensu retardare conatur. Hæc imago adjunctum habet eiusmodi Emblemata: Virtutis gloria merces. Quo, ut puto, admonemur, veram gloriam, vera virtutis & eruditionis fructum, in excelsis & illustri loco esse positum, ad quam nullus absq; labore curquam aditus patefit. Arbor itaque in nomismate nostra efficta est liberalium artium ac disciplinarum: procera admodum, aspectu horrida, cortice aspero, radice amara, ascensu difficilis: sed fructibus uberrimis & suavissimis maxime insignis: sapientia nimirum & virtute, cuius utriusq; comes ac veluti merces est Gloria, corona simulachro notata atq; expressa. Etenim ut labori merces: sic virtuti nullum justius primum persolvi potest, quam Honor & pervagata consentiensq; laus bonorum, & incorrupta vox rectè judicantium. Et quemadmodum in Olympicis certa-



minibus corona ijs duntaxat decernebatur, qui aut cursu, aut pugilatu, aut luctatione, aut saltu, aut alio certationis genere victoriam obtinissent: sic gloria & honos ijs solum debetur, qui in sapientia ac virtutis curriculo laudabiliter versatii sunt, atq; vel ad homines inter se justitiæ munere conciliandos, vel ad Rempub. virtute, consilio, industriaq; defendendam, aut ingenij opibus illustrandam sese contulerunt. Ex quo perspicuum est, virtutem antecedere, honorem verò subsequi debere, quemadmodum olim pontificum Romanorum memorabili decreto cautum est. Cum enim M. Marcellus, is, qui quadraginta novem victorias de hostibus reporsavit, Templum Honori ac Virtuti dicare vellet, pontifices intercesserunt, cum negarent ullam cellam amplius, quàm uni deo rectè consecrari: quoniam si de cælo tacta esset, difficilis procuratio foret, utri deo res divina fieret. Templum itaque medio pariete sic dividerunt, ut nemini pateres ad templum Honoris aditus, nisi prius patefacta Virtutis porta. Quicumque igitur gloriam & dignitatem expetit, necesse habet, omnem suam curam atque operam in virtute desigere: in qua ipsa stabilem sedem ac sempiternum domicilium ipsa sibi collocavit. Esse autem eam magnoperè expetendam, nemo, opinor, insciabitur, qui moderatorem, in qua ipsa consistat, atque ejus incredibiles utilitates secum accuratè cogitavit. Neque enim gloria in errante opinione, sed in ipsa natura sita est: id quod admirabile ipsius desiderium omnibus insitum & ingeneratum maximè declarat. Quæ enim gens & natio est tanta humanitate prædita, aut tam agrestis & inhumani, aut tantis honoribus insignis, aut tam obscura & ignota: aut tot virtutum ornamentis exculta, aut tam multis flagitiis cooperta, quæ glo-



ria & laudis studio non trahatur? Quamtam verò illius cupiditatem natura nobis ingenerarit, ex eo facile apparet, quòd omnes pueri, simul atq; sentire aliquid incipiunt, laude mirificè capiuntur. Mirum est enim, quanta certamina in eant, quanto vincendi studio flagrent: quantus in victis pudor insit. Ut autem quisq; præstantissima indole natus est: ita maxime cupiditatis huius significationem dat. Refert Xenophon, Cyrum illum Persarum regem, cum esset adhuc puer, adeo ad cupiditatem laudis exarsisse, ut illius causa jam in ea ætate omnia pericula subeunda duceret. Facile igitur tum fuit ex illo motu animi futuram Cyri virtutem augurari. Nemo enim unquam res magnas animo magno aggressus est, qui non in ipsius ætatis primordio insignia dederit documenta, quanti gloriam aestimaret. Nec est hic necesse, Pyrrhos, Scipiones, Alexandros enumerare: cum constet, omnes summos imperatores hoc tantum signo magnam spem future virtutis civibus suis attulisse. Quid de insigni ad præclaras disciplinas indole? Num parum liquet, optimam de illis spem concipiendam esse, qui omnem conatum animi ad laudem referunt? Mibi, inquit Fabius Quintilianus, illi detur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu: hunc mordebit oburgatio, hunc honor excitabit: in hoc desidiâ nunquam verebor. His verbis optimus ille Magister indicia ingenij excellentis explicat. Quid, postquam pueri ætate progressi, quatenus quidq; ipsos attingat dispicere incipiunt: num alio genere clarius orationis à languore desidiâq; citius avocantur, quàm summorum hominum commemoratione? Videte quibus verbis Pallas apud Homërum Telemachum incendat ad pœnas de præcorum petulantia repetendas. Sic enim ait:

Nec iam extractes puerili mente, ttractes.  
 Nonne vides, quantum nomen sit adeptus Orestes,

Cum

Cum patrem ulciscens vita spolia veit illum,  
Quī scelere infēndo patrem demiserat Orco  
Te decus eximium præstanti in corpore tandem  
Excitet, ut magno laudum capiatis amore.

Illā igitur oratione sic videmus incensum Telemachum, ut nihil aliud quam de virtute cogitaret. Quid philosophi? nonne spe clari nominis inducti, se ipsos ad sapientiæ studium contulerē? Et enim antiquiores præteream, Plato certe quantum nominis claritatem amaret, aperte declaravit. Nam & laudem esse bonum quoddam cæleste censer, & omnibus eam recte factis quasi præmium divinum proponit, ipseque maximarum rerum instrumentum, & illud admirabile genus Eloquentiæ in gloriam suam maxima ex parte transtulit. Aristoteles autem cum esset philosophiæ gloriā præstantissimus, minime contentus illo splendore, quem erat sapientiæ studis affectus, Eloquentiæ laudem incredibili animi contentione quaesivit. Insuper esset, si vellem eos, qui ab his orti sunt, enumerare, quos omnes constat fuisse gloriæ stimulis acriter incitatos. Quod si aliqui se gloriā despiciere gloriati sunt, id fecerant, ut ea ipsa gloriæ contemtionem maxime nobilitarentur. Quod declarat eorum studium in suis nominibus inscribendis, cogitationumque suarum memoria propaganda. Quid de poetis dicam? Non enim solum sibi ipsis, sed omnibus in quorum studium propensi sunt, nominis immortalitatem pollicentur. Hoc enim sibi divinitus concessum existimant, ut e tenebris, quos velint, eripiant, atque seculis innumerabilibus in hominū luce constituant. Cæleste profecto munus, res ad laudem insignes ab oblivionis injuria vindicare, mortemque ipsam omnia delentem ingenio comprimere. Sed quid poetas admiramus, cum agricolas & opifices, cum barbaros etiam homines, & ab omni cultu humanitatis abhorrentes, laudis dulcedine moveri videamus? Nullus enim est agrico-

la, nullus artifex, nullus operarius, qui non laudari valde cupiat, & inter sui ordinis homines princeps haberi. Ergo cum pueri, senes, adoloscetes, laudem ardentem expetant; cum omnes sive principes, sive plebey, sive intelligentes & docti, sive rudes & imperiti, ad eam enitantur: possumus ne dubitare, quin ea cupiditas humanam naturam maximè attingat. Nunquam enim esset tantus omnium gentium consensus & conspiratio in gloria consecranda, si ea moribus & opinione desiderata, & non potius vi & impetu natura expetita esset.

Quae enim moribus, aut legibus & institutis continentur, nec sunt eadem apud omnes, nec ullam constantiam habent: sed varias pro temporum ratione mutationes subeunt. Ex eo igitur, quod omnes mortales laudari concupierint, facile cernitur, hunc appetitum laudis & gloriae esse naturam, & non opinionem nostris animis infixum. Quod si natura nos non ad flagitium sed ad honestatem genuit, ob idq; omnes sapientes eam tanquam vitam ducem sequendam statuunt; & perspicuum est, nos impetu natura ad laudem contendere: efficitur, nos gloriae cupiditate, ad virtutem & honestatem dirigi. Atq; adhuc ostensum est, gloriae rationem & ortum ab ipsa natura proficisci. Consequens nunc est, ut breviter, quantum fructum illius studium rebus humanis afferat, explicemus. Incredibile enim est, quantam ipsa habeat vim ad animos amore virtutis incendendos ac inflammandos. Omnes enim qui praestanti ingenio praediti sint, stimulis gloriae concitati res praecelaras aggrediuntur. Tolle gloriae cupiditatem, & omne studium virtutis extingues. Nemo enim unquam sese pro Reipublica salute in discrimen intulisset, nemo publicam utilitatem emolumentis proprijs antetulisset, nemo deniq; omnibus rebus posthabitis, sapientiae studia coluisset, nisi primum fuisset ad spem quandam immortalitatis excitatus. Ut enim hic Themistoclem, Epaminondam Scipionem, Carolum Magnum, ceterosq; im-

peratores rerum gestarum gloria florentes omittam: quis dubitat Solonem, Lycurgum, Charondam, Zalcucum, incensos sempiterna gloria cupiditate, leges, instituta, Respublicas condidisse? Quis nescit, Platonem, Aristotelem, Xenophontem, Theophrastum, & omnes deniq, qui monumentis philosophiam illustrarunt suis, gloria suavitate fuisse in sapientia studium incitatos? Quis ad artem aliquam praclarum animum adjunxit? quis virtutem studiosè colendam putavit, qui non prius in egrej nominiis celebritatem aciem mentis intenderet? Quòd si igitur praestantium hominum ingenia multis laboribus & vigiliis lucem aliquam rebus humanis attulerunt; si viri fortes & magnanimi, ut patria consulcrent, vita non pepercerunt; si deniq, multi et atcm in clarissimis studiis consumentes sapientiam affecuti, benèq, de hominibus meriti sunt: id certè studio & cupiditati laudis & gloria adscribendum est. Ex quo facile constat, quantus sit splendor & utilitas verae gloriae, quod eam omnes, qui excellenti sunt ingenio, ardentè expetunt, & illius causa non in vitia res honestissimas & difficilimas aggrediuntur. Verum ut caetera bonorum genera invidia telis sunt exposita: sic gloria quoq, invidos & obrectatores habet. Nam ut ignis exoriens fumum: ita gloria effulgens invidiam excitare solet. Itaq, Themistocles, cum adolescens esset, dixisse fertur: se ex eo intelligere, nihil dum à se splendidum gestum, quoniam nondum invidia dente peteretur. Est enim malum tetrum, detestabile, execrandum, omnibus bonis infestum, rebus humanis pestilens ac mortiferum. Neq, enim quicquam est tam sanctum, tam omni religione munitum, quod non invidia tentare consueverit. Itaq, in nomismate nostro serpens efficitur cernitur, qui adolescentem ad coronam gloriae contendentem infestare, eumq, à proposito suo absterere



rere videtur. At frustra. Nam arboris ascensu adolescens  
 insidias ictusq; illius effugisse fingitur. Quo figmento signifi-  
 catur, verã & confirmatam gloriam tam altè esse positam, ut in-  
 vidie incursio ei amplius nocere non possit. Nam à vera vir-  
 tute pendet, cujus tanta est vis, ut omnem maculam, omnem in-  
 famiam sive hominum scelere, sive errore constat am delet atq;  
 extinguat: non aliter ac ignis jam auctus summum dissipare solet.  
 Quamobrem cum vera gloria non ab errore vulgi, sed ab ipsa  
 natura, & à lumine virtutis oriatur; & infinitas humano ge-  
 neri afferat utilitates; & vero tam stabilis ac firma sit, ut neq;  
 invidia detestabilis immanitas, neq; imperita multitudinis a-  
 mentia eam obscurare aut abolere queat; reliquum est, ut eam  
 omnibus votis expectendam esse statuamus. Agite igitur ado-  
 lescentes & commilitones optatissimi, omni ope & opera conni-  
 tamur, atq; elaboremus, ut mentem sapientia, animum virtu-  
 te, linguam eloquentiã sic instruamus atq; ornemus, ut aliquan-  
 do & parentibus honori, & amicis utilitati, & Reipublice emo-  
 lumento simus: & deniq; suavissimum virtutis & doctrinæ  
 fructum ac mercedem Gloriam consequamur.

## D I X I.




ORA-



39

ORATIO SECUNDAE  
CLASSIS, RECITATA

PAVLO SIDELMANNO  
NORIBERG.



**Q**ui malorum escam dixit esse voluptatem,  
is profecto & dixisse verè, & praclare sensisse mihi vide-  
ri solet, Auditores ornatissimi. Quemadmodum enim bruti  
mutiq; pisces esca, sub qua lethalis hamus delitescit, impruden-  
tes capiuntur ac pereunt: sic multi adolescentes blandæ volupta-  
tis, cujus initium suave, finis teterrimus est, illecebris deliniti  
constringuntur, atq; ut Phadria Terentianus prudentes scien-  
tes in exitum ruunt voluntarium: ut in amatoribus, ebrio-  
sis, aleatoribus, & id genus aliis corruptissimis hominibus cer-  
nere licet. Cujus quidem rei simulachrum in nostro Brabeo ex-  
pressum est ad hunc modum: In ameno loca inter herbas flo-  
resq;

resq; recumbit bestia quadrupes, superne quidem formosa virgo: sed qua in atrum ac venenatum serpentem desinat. Cui idcirco hoc Emblemata additum est: Procul hinc: latet anguis. Ceterum ut imago ista plenius cognoscatur, opera precium fuerit audire lepidam fabellam, quam ex Dione Chysostramo Pierius in Hieroglyphicis repetit lib. 14. Est (inquit) in Libya ferarum genus, ex promiscua bestiarum plurium, diversorumq; generum propagatione procreatum. Id immane admodum, ferum ac ferocissimum, circa Syrtes plurimum versatur: & cibi gratia tum feras reliquas, tum humanum pastum conquirat avidissime. Ejus vero monstri natura faciesq; hujusmodi forma est conspicua: Corpus quidem muliebri, idq; admodum formosum: lascivè tumentes papillae, totumq; pectus ac cervix pulcherrima: colore cutis nitidissimo: mira ab oculis ejus profilit hilaritas, qua intuentem quemlibet facile in amorem illicere queat. Reliquum autem corpus horridum, & squamarum scabritie asperum & intractabile. Infernè demum in oblongum anguem desinit: cujus caput in extrema parte situm acre admodum sit, & mordacissimum. Alis prae ditum non est, sed sphingis instar factum: neq; tamen loquitur, ut illa facit: sed Draconum more sibilum tantum edit acutissimum. Hujus generis ferae in Libya sunt plurimae, tamq; veloces, ut nemo, quantumvis expeditus ac celer, earum insultus se effugisse gloriari possit. Reliqua animalia, quotquot nanciscuntur, pernicitate ac robore, per vim opprimunt: sed solum hominem dolo blanditiisq; adoriuntur & superant. nullo enim impetu eum invadunt, nec quicquam hostile pra se ferunt: sed ostentatis pulchris nitidisq; pectoribus, tanquam amoris tendiculis positis, oculisq; modeste in terram dejectis, instar venusta lepidaeq; feminae, ad colloquium congressumq; eum invitant, variisq; lenociniis alliciunt. Simulatq; verò propius homo (ut voluptarij sunt

sunt impudentes) ad eas accesserit: protinus eum invadunt, & injectis (quas tantisper dum occasio praeda offeratur, occultant) ad uncis manuum unguibus arripiunt. Mox serpens à tergo insurgit, arreptumq; hominem virulento morsu ulcerat, immissoq; veneno necat. Tandem fera ejusq; cauda serpens, tanquam conjuratione facta, miserandum hominis cadaver laniant ac devorant. Ceterum cum aliquando Hercules Libycus illuc iter faciens, fortè eas è longinquò conspexisset, propius non accessit: sed velocissimo cursu sese in fugam coniecit. Ille verò cum diu & acriter eum insecuta fuissent, nec tamen pradam nancisci potuissent: tandem irà inflammata omnem crudelitatem in semetipsas converterunt: & sese mutuo fœdissimè dilaniarunt. Hac ferè Pierius. Iam porò quid aliud hæc fabula monet? quam turpes voluptates esse blandissimas dominas, quæ venusto aspectu homines ad se alliciant: sed ubi semel eorum animos occuparint atq; subegerint, præcipientes in omne flagitiorum & calamitatum genus conjiciant. Ideoq; eas tanquam venenatas bestias cavendas ac fugiendas esse. Nulla enim nocentior hominum pestis est, quam fæda voluptas, hoc est, gula & libidinis intemperantia. Vtraq; enim & animo & corpori, & fortunis plurimum nocet. Nam crapula non corpus duntaxat vitiosis humoribus replet, & omnes nervos, omnia membra omnesq; sensus labefactat: sed etiam densis vaporibus in cerebrum exhalantibus, ipsam mentem præstantissimam hominis partem, illam inquam divina particulam auræ, humi affligit, obtundit atq; evertit: inprimisq; memoriam doctrinæ thesaurum, graviter vulnerat. Nec minus libidinis intemperantia sanitatem debilitat: quippe quæ fons sit gravissimorum fœdissimorumq; morborum, quos nullus seplasiarius, nullus coquus, nullus chymicus (quamvis hic tantum non aureos montes pollicetur) curare possit,

possit. Quod ex naturali vigore, sive volens, sive invitus  
 perdidit, id quocumq; artificio restituere velis, prorsus est  
 Glauci & Diomedis permutatio. Itaq; Cicero rectè dixit: Vi-  
 rium ventris & gutturis non modo minuit et aetatem hominibus,  
 sed etiam aufert. Quod porro multi luxu & amore rei fami-  
 liaris naufragium fecerint, plus satis notum est. Sed quid de  
 pecunia mentionem facio: cum multi philtris in rabiem  
 & exitium agantur: multi capitis periculum adeant, si  
 si in amulos, aut alioqui ebriosos ac contentiosos incidant. Ex-  
 empla pro dolor, communis vita plura suppeditat, quàm opus  
 est, aut expedit. Quid multa? Ex turpium voluptatum studio  
 nascuntur supra, adulteria, caedes, rei familiaris jaçtura, insa-  
 mia, conscientie labes, proditiones, disciplina perturbatio, rei-  
 publicæ everasio: nec deniq; ullum tam immane scelus est, ad quod  
 suscipiendum non libido voluptatis impellat. Quæ cum ita se  
 habeant, Auditores optimi repetamus, nostrisq; animis penitus  
 imprimamus Emblemata illud, Procul hinc: latet anguis: & pro-  
 ponamus nobis imitandum Herculem Libycum, qui bestiam vi-  
 rulentissimam fugiendo superavit: Sic nos fadas voluptates ca-  
 ne pejus & angue aversemur & fugiamus. Multi quidem ca-  
 ste sobrieq; viverent, nisi perditorum hominum gregi associa-  
 rent. Itaq; non tantum voluptates, sed etiam occasiones ea-  
 rum vitandæ sunt: & quantum fieri potest, declinandus est ho-  
 minum mollium, obscenorum ac libidinosorum congressus &  
 consuetudo, quæ contagione sua etiam rectos animos insicere ac  
 depravare solet. Quocirca Pythagoras prudenter vetuit γένε-  
 σθαι τῶν μελανόρων, Id est, gustare ex ijs, quæ nigram habent cau-  
 dam. Quo nomine perditorum hominum familiaritas intelli-  
 gitur, cujus principium blandum plerumq; tetro fine concludi-  
 tur. Sed temporis decursus postulat, ut finem dicendi faciam.  
 Itaq; Epilogi loco vobis recitabo pulcherrimam Musonij philo-  
 sophi sententiam: ἄν τι πρᾶξις καλὴ μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος οἶ-

91


χετα, τὸ δὲ καλὸν μένει. ἄν τι ποιήσης αἰσχρὸν μεθ' ἡδονῆς, τὸ μὲν  
 ἡδύοίχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει. *Hoc est: si quid per laborem rectè  
 feceris, labor citò abis, rectè factum nunquam abscedit. Si  
 quid rursus per voluptatem nequiter feceris, voluptas citò abi-  
 bit, nequiter factum semper manebit.*

D I X I.

O R A T I O T E R T I A E  
C L A S S I S, R E C I T A T A.

ab

*Illustri & generoso Domino, Domino*  
 IOHANNE ALBINO SCHLICK,  
*Comite in Passau & Weiskirchen*



**V**TINAM par desiderio meo suppeteret inge-  
 nij doctrinæ facultas, Rector Magnifice: equidem vo-  
 luntati tua non modo lubens satisfacere, sed etiam congruari-

Z 3.

nm,



um, quod mihi datum est, eleganti oratione celebrarem atq; ornarem. Verum quoniam id aetatis jam sum, ut de facultate mea nihil polliceri queam: operam dabo ut vel solam voluntarem atq; studium auditoribus probare possim. Brabei autem nostri Emblemata est: Paulatim; cui adjuncta est imago certaminis, quod de certo quodam spacio conficiendo testudo cum aquila suscepisse fingitur, atq; ut fabula fert, definitus tum fuit & temporis & loci terminus, ad quem uter prior venisset, victoriam obtineret. Aquila idcirco tarditate testudinis animadversa & contempta, prior provolat, atq; velut aliud agens hinc inde vagatur, ac sapiuscule desidet: noctes integras conquiescit: nec tempore matutino satis maturè evolat: quippe qua pernicitate sua freta putaret, se uno impetu omnes testudinis conatus facile anteversum esse. Sed interim testudo nunquam cessat, ac potius dies noctesq; rectis itineribus ad locum praestitutum contendit, tandemq; aquilam, avem velocissimam, laboris assiduitate vincit. Haec fabula Auditores, duo potissimum nobis consideranda proponere videtur. Alterum: Aemulationem concertationemq; esse utilem ac propè necessariam. At aemulationem hic intelligo eam, qua in laude ponitur, & gloria stimulis excitatur, virtute perficitur. Hujus enim verò quanta sit vis, ostendit fabula, qua extat apud Alexandrum Aphrodisaeum philosophum praestantissimum. Venus in lucem ediderat Cupidinem. Mirabatur dea, quod filius multis mensibus à natali die praeterlapsis, nihilo auctior atq; procerior factus esset. Cumq; nec causas ejus rei intelligeret, nec qua ratione huic incommodo mederi posset, prospiceret: ad fatidicam animum Themin adiit, eam consuluit, atq; responsum accepit: Non ante ullo corporis incremento Cupidinem auctum iri, quam Venus alterum filium peperisset, in cujus aemulationem prior ille succresceret. Venus igitur responsò accepto, iit in complexum Martis: alterum filium concepit ac peperit:

cui nomen *Anterotis* imposuit, quasi tu dixeris, *Anticupidinus*. Tum vero mirum dictu, subito quam feliciter adoleverit *Cupido*: non aliter ac si cum fratre certamen grave inisset, uter pulchrior atq; præstantior evaderet. Mirabantur tum dii reliqui, tum imprimis parentes, tam egregiam prolem emulationis beneficio extitisse. Hinc colligere licet, præclara ingenia magnos progressus facere non posse, nisi habeant antagonistas (ut *Græci* vocant) cum quibus decertare queant. Certe nullus stimulus acrius currentem urget, quam si amulus ac rivalis nobis opponatur, cum quo nobis certamen ad famam, ad gloriam, ad æternitatem, ineatur. Friget enim omnis, quantumvis excellens actio, nisi contentionem quandam adjunctam habeat. Muliercularum mos est ijs, quos in amore retinere cupiunt, rivalem aliquem opponere. Hinc illud apud *Comicum*: Vbi nominaverit *Phædiam*, tu *Pamphilam* continuo. Si quando illa dicet: *Phædiam* intromittamus comessatum: tu, *Pamphilam* cantatum provocemus, dic. Si laudabit hæc illius formam, tu hujus contra: Deniq; par pari referto, quod eam mordeat. Atq; hoc est, quod *Aristophanes* dixit, magnam nos plerumq; ex inimicitiiis utilitatem capere. Ceterum exempla emulationis honestissima plurima in medium proferri possent, nisi temporis angustia vetarent. Veruntamen unum atq; alterum ex infinita copia decerpere liceat. *Franciscus Philelphus* in *Græcis* literis exercitatus, cum *Timotheo* quodam *Græco* de vi *Syllaba* contendens, barbam victo (ut *Iovius* scribit) inexorabili superbia derasit. Sic enim inter eos convenerat, ut victus barbâ mulctaretur. *Philippus Melanchthon* *Germania* nostra decus, cum in convivio quodam assideret *Sabino* & *Stigelio* poetis *Germanis* cla-

clarissimis, eos ut inter se versibus certarent, monuit. Sabinus  
etate & dignitate prior sic capit :

Carmina conscribant alij dictante Lyæo,  
Multa sit in versu cura laborque meo.

Stigelius scite excepit, ac carmen invertit :

Carmina componant alij sudante cerebro,  
Nulla sit in versu cura laborque meo.


Quid Philippus? pro ea, qua erat, facilitate & humanitate, utrumque vitula dignum ( ut Poëta inquit ) iudicavit. Sed tempus plura non admittit. Reliquum est igitur, ut alteram nostri Emblematis sententiam perquiramus, qua, nisi fallor, hæc est: Tarditatem ingenij cum modestia & industria assiduitate conjunctam plus valere, quam vagam, superbam ac negligentem celeritatem. Apparet id certè tum in cateris vite negotiis, tum maximè in studiis literarum. Mittuntur ad scholam duo adolescentes ex eadem civitate: alter eximium habet ingenium, sed absque industria: alter industria valet, sed ingenio est tardiore. Ille ingenij viribus confisus, nugatur, ociatur, in eam adductus opinionem, fore, ut simul atque velit, alterum illum vel superet, vel certè assequatur: Hic verò magno labore totoque animo in literarum studia incumbit, nugas & otium velut ingeniorum pestem odit atque fugit. Quid ergo? Aliquot annis post ambo domum revocantur: alter laboribus persunctus, doctrinam & virtute excultus domum hilaris revertitur, magna cum letitia ac honore à suis parentibus & propinquis excipitur: Alter vero tempore & nummis malè consumptis, cum probro ac damno, aut certè absque fructu & laude tristis redit, suisque domesticis nil nisi dolorem atque molestias adfert. Vter igitur palmam feret, premioque decorandus est? Non utique is, qui celeres ingenij motus habet ad discendum, claudicantem verò industriam: sed alter potius, qui tardus ad intelligendum subsidio  
sibi

sibi diligentiam comparavit. Quamobrem adolescentes, sic nobis persuadeamus, Ingenium absq; industria parum, industriam sine ingenij præstantia multum: sed utrumq; coniunctim plurimum valere. Qui igitur ingenio excellit, adjungat industriam, & tardiores ne despiciat. Qui parum habet ingenij, adhibeat diligentiam, quæ ut Cicero ait, omnia potest, nec quicquam est, quod non assequatur. Ceterum Emblemata nostrum etiam in consiliis locum habet, in quibus non velocior, ut fit in cursu, sed tardior vincere solet. Deliberandum est enim diu quod statuendum est semel. Plurimos videas ex inconsulta & temeraria festinatione in ipso statim operis limine collabi: alios nonnihil progressos maximis involvi difficultatibus, & vel nunquam, vel tardissimè ad exitum pervenire: alios etiam adèd nihil efficere, ut rei absq; maturo consilio attentata onere opprimantur. Sed tempus admonet, ut finem orationi imponam. Quapropter, Auditores humanissimi, etiam atq; etiam Emblemata illud nostrum (Paulatim, quòd pertinet, Festina lentè) considerare, ejusq; prudentissimum consilium semper & ubiq; in omni rerum ac negotiorum vel privatorum vel publicorum aggressionem sequi debemus.

D I X I.



ORATIO QUARTAE  
 CLASSIS, RECITATA  
 4  
 CONRADO MULLERO  
 HERBIFOLENSI



**I**n nomismate meo, Auditores humanissimi, due manus sunt efficta, quarum altera calamum corolla circumplicatum: altera tribulum tenet, cum hoc Emblemate: Ad rastra vel astra. Constituitur autem nobis ob oculos duplex vita genus: alterum clarum & honoratum, quod astris notatur: alterum obscurum & inglorium, quod rastro exprimitur. Ad rastra quidem proclivis patet via, eorum vestigiis trita & notata, qui somno, ludis, nugis, ignavo turpique ocio sese dederunt, & literas omnesque honestas artes ac labores oderunt atque fugerunt. His merito premij loco assignatur tribulum, hoc est, vita abjecta, agrestis, dura, laboriosa. Ignavia enim atque inscitia comites sunt egestas atque contemptus. Hinc illud:




Φεύγω μύλον ἄλφια φεύγα. Et præclare Cicero: Mibi quidem, inquit, qui nihil agit, esse omninò non videtur. Qua voce nil abjectius aut contemptius de ignavis dici potuit. Sed o-mittamus tribula & rastra, quæ hunc locum nec armant, nec ornant: & convertamus nos ad astra, hoc est, ad vitam honoratam & jucundam: cujus omnis & dignitas & jucunditas in literis, quæ coronati calami imagine significantur, posita est. Nihil etenim in rebus humanis præstantius, nihil salutaris, nihil jucundius est eruditione ac literis. Harum namq; ope omnia, quæ homines in vita expetunt, comparari, conservari, amplificari possunt. Atq; ut de opibus & copijs, ceterisq; id genus bonis, ad quæ paranda literæ accommodatæ sunt, nunc taceam: nonne earum subsidio tanquam alii homines ad astra, hoc est, ad summas dignitates & honores evehuntur, atq; in clarissima hominum luce collocantur? Si repetamus paulisper antiquitatis memoriam, videbimus omnes, qui doctrinâ & sapientiâ excellerunt, amplissimis honoribus usos. Quid Lycurgus, nonne sapientiæ admiratione tantû est auctoritatis consecutus, ut civitatē luxuria diffluentē legū severitate devinceret? Quid septem sapientes, nonne in suis civitatibus principatum obtinuerunt, & Græciâ universam bonâq; Asiæ partē sapientiæ nomine cōmoverunt? Quid hîc referam amplissima laudis ornamenta, quibus Gorgias, Plato, Aristoteles, Xenocrates, Theophrastus, & omnes deniq; excellentes philosophi decorati sunt? Apud Persas autem Magi in tanta admiratione fuerunt, ut nemini regnare liceret, qui non fuisset prius eorū disciplinis institutus. Apud Aegyptios quantus honos fuerit habitus sacerdotibus, explicari vix potest. Apud Romanos, nonne eruditi homines egregiâ laudē & eximios honores consecuti sunt? Quid commemorē Africanū illū, qui Carthaginē & Numantiā delcivit? Quid Lælium, sapientiæ cognominatū: à quo Terentijs fabulæ ob elegantiâ cōscribi putabātur. Quid Scaevolâ & Brutū, atq; postremo, ut alios innumerabiles

omittam, M. T. Ciceronem, eloquentiae parentem, qui gloriam  
Romani imperij doctrina praestantissimis muneribus illustra-  
vit? Nec Romani solum, sed etiam externi, doctrina commen-  
datione in eam civitatem accepti, summisq<sup>3</sup> honoribus aucti  
fuerunt, qualis fuit Plutarchus Cheronaeus, Dionysius Halicar-  
nassensis, Strabo, Aelianus, Arrianns, Dio, Seneca, alijq<sup>3</sup> per-  
multi, quos esset infinitum enumerare? Druidas autem apud  
Gallos, Brachmanes & Gymnosophista Indos, in quanto precio  
& honore fuerint habiti, est satis exploratum. Exponam vo-  
bis rem admirabilem & auditu fortasse non injucundam. Sine  
populi, quos & Chinas appellant, regionem incolunt latissimam  
in extremis Orientis oris, de quibus historia non ita pridem è  
Lusitanico sermone in Latinum conversa referunt, vix esse ul-  
lam nationem, siue urbium magnitudine, siue adificiorum pul-  
chritudine, siue victu cultuq<sup>3</sup> civili, siue flagranti artium stu-  
dio, cum Sinarum natione comparandam. In libris autem scri-  
bendis & excudendis, aeneis formis, quae non ita pridem apud  
nos in usu sunt, illi infinitis propè seculis utuntur. Tantumq<sup>3</sup>  
ajunt apud illos tribui disciplinis, ut nullo modo liceat summum  
imperium committi, nisi illi, qui se probaverit omni liberali do-  
ctrina ac disciplina excultum ac perpolitum. Nec enim in man-  
dandis honoribus aut generis, aut fortuna rationem habent, sed  
tantum disciplina ac eruditionis. Omnes igitur, qui principa-  
tum expetunt, in artium studia incumbunt. Vbi autem cre-  
dunt, se non poenitentiam progressionem fecisse: ad certos judi-  
ces huic muneri destinatos accedunt. Horum suffragio, aut ut  
indocti repelluntur, aut ut docti certis honoribus insignibus or-  
nantur. Ex ijs deliguntur, qui minores jurisdictiones ad-  
ministrant. Qui autem diutius in studiorum curriculo  
versari, & sublimiores disciplinas persequi cupiunt, ubi cer-  
tum iudicium absolverint, aliud gravius iudicium subeunt. Iu-  
dicantur enim à viris multo doctioribus, quibus si satisfecerint,  
ad alio-

ad altiore[m] honoris gradum ascendunt. Sic etiam licet ijs qui  
 ampliore[m] honoris spem sibi proponunt, plures annos in studiis  
 consumere, & ordinatim alia atq[ue] alia doctorum hominum judi-  
 cia subire. Sunt enim plures ordines hominum de ingenio atq[ue]  
 doctrina judicantium. Hinc igitur apparet, quantum apud Gri-  
 ecos valeat opinio doctrinae & eruditionis: cum eos duntaxat  
 honoribus cumulent, & imperio praeficiant, quos judicant esse  
 doctrinae laude praecellentes. Quod si igitur adolescentes sua-  
 vissimi, doctrinae studium non solum apud Graecos & Romanos,  
 sed etiam apud barbaras nationes, tantam vim obtinet, ut homi-  
 nem variis bonis cumulare atq[ue] ornare, & ad astra, hoc est, ad  
 magnos honores evehere possit: cur ex animis nostris torporem  
 atq[ue] ignaviam non excutimus? Cur oblatam tot tantaq[ue] bona  
 consequendi opportunitatem non amplectimur? Cur non totis  
 animis ac studiis ad laudandorum doctrinarum studia incumbi-  
 mus. Non enim ex plano & facili gloria petitur: sed (ut Poeta  
 inquit) per ardua progreditur. ἢ ἀρετὴν βαίνει διὰ μόχθου. Deus  
 Opt. Max. cui, quaecunq[ue] hic acta dictaq[ue] sunt, grata esse cupio,  
 nobis adolescentibus & voluntatem & facultatem largiatur,  
 ut ea, ad qua nostra cohortatio spectat, expedito cursu assequa-  
 mur.

D I X I.



Aa 3

PA-

XVI.

PANEGYRIS ANNI

1592.

SUB RECTORATU  
D. D. NICOLAI TAVRELLI  
*Medici.*

*Oratio prima classis, recitata*

à  
PAVLO FEZERO.  
MORIBERG.



*SI mea sponte in hanc concionem ascendissem,  
Auditores humanissimi, in temeritatis ac impudentia cri-  
men meritò vocarer. Nam locus hic amplissimus & splendidis-  
simus non imperitis ac indisertis adolescentibus: sed viris pre-  
clara*

clara doctrina eximiaq; dicendi facultate praeclara destinatus  
 ac consecratus est. Verum, quum Mag. D. Rectoris jussu & au-  
 toritate evocatus huc pervenerim: spero me non solum crimi-  
 ne, sed criminis quoq; suspitione cariturum esse. Longiore itaq;  
 excusatione praetermissa, rectè ad id, quod mihi propositum est,  
 aggrediar, idq; quàm brevissima fieri poterit oratione percur-  
 ram. Vos interim oro & obtestor, ut mihi ceterisq; condiscipulis  
 meis ex hoc loco deinceps verba facturis benevolentiam & atten-  
 tionem humanitate vestra dignam tribuatis. Atq; ut hinc ex-  
 ordiar: In hocce Brabeo nostro Promethei ad montem religati,  
 & aquila jecur illius assidue dilaniantis imago cernitur: cui ad-  
 scriptum est una voce expressum Emblemata: Conscientia. Cete-  
 rum, ut res melius intelligatur, ex antiquorum scriptis explica-  
 tio ejus repetenda est. Memoria litterisq; proditum est, Iovè ira-  
 tum mandasse Mercurio, ut Prometheum ob surreptum ignem & di-  
 vini muneris Pandora contemptum ad Caucasum religaret. Causa  
 verò tanti supplicij tres praecipue commemorantur, fraus, furtum &  
 contemptus. Cùm enim in sacrificijs olim mos esset integras hostias  
 immolare, neq; idcirco pauperes ob sumptuum magnitudinẽ sa-  
 crificare possent: Prometheus cum Iovè egit, ut dimidia duntaxat  
 hostiae pars deinceps ad sacrificium praeberetur: altera vero ho-  
 minum usui reservaretur. Quod cum Iupiter concessisset: Pro-  
 metheus homo callidus & veterator binos tauros mactavit, &  
 utriusq; ossa, à carnibus separata accumulavit, corioq; obtexit,  
 carnes itidem seorsim ab ossibus positas reliquo corio operuit:  
 atq; ita Iovè alterutram hostiam eligendi optionem dedit. Iu-  
 piter nil fraudis suspicatus, ossiam victimam prope se locatam  
 elegit. Sed fraude animadversa graviter excanduit, atq; ho-  
 minibus ignem, ne sacrificia amplius facerent, eripuit.  
 Verum callidissimus Prometheus auxilio Minerva in cae-  
 lum ascendit, ferulaq; ad currum solis adnota, ignem  
 furri-



surripuit, eumq; in terras delatum cum mortalibus denuo communicavit. Quod cum Iupiter rescivisset, Vulcano imperavit, ut sœminam è luto fingeret: quæ quod omni artium genere à dijs instructa ornatq; esset, Pandora dicebatur. Hæc primum una cum pyxide belle depicta, cunctisq; malis calamitatibus referta, ad Prometheus missa fuit, à quo spreta & metu insidiarum repudiata, ad Epimethem contendit: qui pyxidem ab ea acceptam quùm aperuisset, omnisq; generis mala evolare sentiret, solam Spem in fundo hærentem occlusit: eamq; cum vasculo retinuit. Iupiter verò muneris sui contemptum ægerrimè ferens, Mercurio mandavit, ut Prometheus ad Caucasum montem deduceret, eumq; humi stratum, quatuor catenis tam arte astringeret, ut nullo pacto sese movere posset. Adjunxit & Aquilam, quæ jecur illius assidue tundens laniaret atq; exederet, nec tamè penitus id cõficeret & absumeret. Nã quantum jecinoris interdum depascitur, tãtundè noctu renascebatur, adedò, ut nulla unquã d'olori materia deesse posset. Hoc figmentũ, Auditores, non tanquã inane aurium oblectamentũ accipere debemus: sed ex eo discere, In omnibus consiliis & actionibus diligentè conscientia rationem habendam esse. Est enim conscientia veluti prætor in uniuscujusq; animo constitutus, qui & quid, & quale, & quantum quidq; sit, clare perspicit recteq; judicat: & virtutes commendat & approbat, vitia improbat & damnat: atq; his pœnas, illis præmia statuit atq; decernit. Estq; permagna illius vis in utramq; partem, ut neq; timeant, qui nihil commiserint: & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt. Nam qui rectè factorum memoria sustentantur, ÿ sive domi sive foris versentur, & sive prosperis rerum successibus utantur, sive adversis afflicentur, semper placida & tranquilla mente consistunt. Contrà qui omni sceleris & improbitatis contagione se contaminarunt, incredibili dolore & molestia afficiuntur & excruciantur. Nam & maleficorum conscientia

eos perterret, & judiciorum metus exanimat, & suppliciorum  
 formido de mente deducit. Neq; enim consecrati deorum  
 impulsu (ut Cicero ait) furiarum radis ardentibus terrentur,  
 sed sua quemq; fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia, de  
 sanitate ac mente deturbat. Ha sunt impiorum furia, ha  
 flamma, ha faces. Nullum enim scelus (ut Seneca scribit) li-  
 cet illud fortuna exornet muneribus suis, impunitum est, quo-  
 niam in scelere sceleris supplicium est, timere semper & expave-  
 scere, etiam securitati dissidere. Multos fortuna liberat pœ-  
 nâ, neminem metu. Tutum res aliquam mala conscientia pra-  
 stat, nulla securum. Putat enim se etiamsi non deprehenditur,  
 posse deprehendi, & inter somnos movetur, & quotiesalicujus  
 scelus loquitur, de suo cogitat. Hac Seneca in epistolis sanè quàm  
 verè ac sapienter. Conscientia enim per omnes nationes &  
 gentes peragrat, atq; in animis omnium tam est insita ac inge-  
 nerata, ut nemo, ne si solus quidem ferarum more vixerit, vim  
 ejus ignorare, nec ullius hominis, si quid mali designarit, calli-  
 ditas aut violentia angores illius & cruciatus effugere possit.  
 Hinc perpetuus languor, hinc tristis & atrox vultus, hinc pa-  
 vor & trepidatio: adè ut facinorosi ad omnia fulgura & toni-  
 trua expallescant, ad quos vis rumores trepident, atq; etiam so-  
 ly volitantis strepitu perterriti contremiscant. Nullum enim  
 habent in rebus angustiis & adversis levamentum, nullum in  
 mœrore solatium, nullum in calamitatis imminenti metu per-  
 fugium. Vt enim si quis telo venenato confixus esset, quod è  
 corpore extrahi non posset, nullum temporis momentum dolore  
 vacuum haberet: Sic ubi venenum turpitudinis animum occu-  
 pavit, & altius penetrans mortiferum ei vulnus infixit, nihil  
 est quod miserum hominem ab angoribus & dolorum acerbita-  
 te liberare possit. Ex quo fit, ut neq; domi, neq; foris, neq; publi-  
 cè, neq; privatim, neq; interdum neq; noctu, neq; in ocio, neq; in

negotio ullam quietem inveniat. Etenim nec domus, nec ci-  
vitas, nec frequentia nec solitudo, nec lux nec tenebræ, nec la-  
bor, nec requies illis jucunda esse potest, qui animum scelerum  
ac flagitiorum vulneribus concisum gerunt. Testis est Impera-  
tor Nero, qui interfecta matre, aliisque sceleribus admissis so-  
mnum amplius capere non potuit: sed agitatedus furiis de lustra-  
tione cogitavit: tandemque gladio mortem sibi ipse conscivit. Te-  
stis est Bessus quidam (ut Plutarchus scribit) qui cum patrem su-  
um clam trucidasset, posteaque complures annos absque ulla crimi-  
nis suspitione exegisset: quodam die ad cœnam quam amicis  
condixerat, proficiscens, fortè incidit in nidum hirundinum,  
quem baculo diruit, pullosque inde exturbatos crudeliter omnes  
obterit & conculcat. Reprehensus verò à comitibus de im-  
manitate, quam in aviculas innocentes nulla de causa exercuis-  
set: Nimis diu (inquit) me paterna cadis falsò accusarunt.  
Quod responsum comites ad regem detulerunt, quire diligen-  
ter explorata cognitaque, Bessum merito supplicio affici iussit. At  
illæ non hirundinum, sed ipsius naturæ voces erant: quæ insta-  
bant, quæ urgebant, quæ Besso hæc duo verba, Quid fecisti, iden-  
tidem in mentem revocabant, adeò, ut nec unquam nec uspiam  
metu vacare, animoque tranquillo esse potuerit. Verum exempla  
plura nec res proposita desiderat, nec temporis brevitatis admit-  
tit. Perspicuum igitur est, Auditores ornatissimi, constatque  
inter omnes, in conscientia & felicitatem & miseriam nostram  
esse positam: utpote quæ si pura integraque sit, animum sanat, men-  
tem illustrat, securitatem præstat, voluptatem parit, ad beatitu-  
dinem deducit, cum Deo beatisque mentibus nos conjungit, ac  
sempiterna societate devincit: Contrà verò, si impura sit, scele-  
regue, constricta teneatur, animum affligat & perturbat, men-  
tem occæcat, molestias creat, terrores injicit, dolores affert, ca-  
lamitates importat, tandemque hominem acerbissimis cruciati-  
bus confectum in sempiternas miserias conjicit. Quæ cum ita  
se ha-

se habeant, neminem vestrum esse puto, qui mecum non consentiat, planeq; statuat, in id studium unice incumbendum esse, ut, quantum in nobis est, vitia declinemus & fugiamus, & virtutem amplectamur, atq; colamus: vitamq; nostram prorsus sic instituamus, ut sive soli simus, sive inter homines agamus, nihil admittamus, cujus nos aliquando vel pudere vel pœnitere queat: & verò ad extremum decurso in his terris vite spacio, bonaq; fama inter homines relicta, conscientiam puram omnig; labe carentem ad Deum Opt. Max. supremum humani generis judicem afferamus.

D I X I.




Bb 2

ORA-

ORATIO SECUNDAE  
CLASSIS, RECITATA

ab

Illustri & generoso Domino, Domino  
IOHANNE ALBINO SCHLICK,  
Comite in Passau & Weiskirchen.



**D**VPLEX animorum atq; natura humana  
vis est: una in ratione posita, qua doceat atq; explanet,  
quid faciendum fugiendumq; sit: altera in appetitu, eoque gra-  
cè: qua hominem huc & illuc rapiat. Amba ea lege inter se  
juncta sunt, ut appetitus rationi pareat. Ratio enim nil nisi  
prudens, justum, forte, temperans, praescribit, unde omnia officia,  
laus, decus, honor, gloria, promanant. Appetitus contra te-  
meritatis, libidinis, iracundiae, injuriae, ignaviae, vel auctor vel  
minister est. Cui ne obsequamur, admonet nos Brabeum no-  
strum, in quo imago cernitur Minerva Achillem iratum à  
crude-



crudeli facinore quod animo conceperat, revocantis ac prohibentis, subiecto hoc Emblemate: *Vince animos.* Nam ut *Homerus lib. 1. Iliados scribit: Cum Achilles dux fortissimus, optimeq; de rege suo Agamemnone meritis, videret, se in nullo apud eum esse loco: incredibili dolore exarsit. Sic enim conqueritur (autore Homero, interprete Minturno:)*

Namque loco nullo numerat me Rex Agamemnon. 25

Ipse habet id quo despectum me munere privat. 26

Noverit Atrides, quorum sit causa malorum, 27

Contempsisse virum, quo non præstantior alter. 28


Itaq; tandem iracundia victus, stricto gladio regem adortitur: sed à tergo astans *Minerva eum subito capillis apprehensum retrahit, ejusq; furorem ac impetum reprimit ac retardat. Quo insigni exemplo sapientissimus Poëta docet, Iram nihil aliud esse, quàm furorem quendam brevem, atq;, ut Seneca ait, consultorem pessimum: qua idcirco Minerva, hoc est, rationis imperio refrenari omniq; studio coerceri debeat. Est enim hæc affectio omnium turbulentissima, atq; etiam nisi cohibeatur, nocentissima. Etenim tam ipsis iratis, quàm aliis hominibus vim ac detrimentum afferre solet. Primum enim perturbat animum, omnemq; rationis usum pervertit, ut mens neq; quid æquum, neq; quid iniquum sit, amplius cognoscere atq; statuere possit. Nam ut fumus offendit oculos, eusq; tenebras offundit, quo minus viam propositam, quaq; in ea se obviam ferunt pericula & incommoda, cernere atq; evitare possint: sic ira impetum mentem, qua oculus quidam animi dicitur, quasi caligine quadam circumfundit & obscurat, ut nec decus, nec probrum, nec emolumentum, nec detrimentum perspicere queat. Verum non animum duntaxat affligit, sed in corpus quoq; suam vim exercet. Nam sanguine in pectus conflente, & quodam quasi astu effervescente, cor intumescit & palpitat, & calor in cerebrum*

ac reliqua membra repente diffunditur. Hinc teter & horribilis aspectus: celer & truculentus oculorum motus: color aut pallidus aut igneus: tremor totius corporis: lingua aut haesitans & velut interclusa: aut ad convitia valde praecipit & expedita: clamor insanus: impetus furens ac violentus. Non raro manus antevertit verba, tum pro telo est vel pugnus, vel unguis, vel calces, vel morsus, vel sputum ipsum, & denique quicquid primum manibus obtingit: furor nempe (ut quidam ait) arma ministrat. Hinc plaga, vulnera, caedes, atque id genus alia mala, quae ex ira tanquam ex venenato fonte promanant. Liceat ex innumeris exemplis unum & alterum in medium proferre. Alexander Rex Macedonum, cognomento magnus, nutricis suae filium Clytium amicum singularem & innocentem, per iram interfecit: pauloque post se recolligens, telum à Clyti vulnere extractum in seipsum convertisset, nisi amicorum interventu prohibitus fuisset. L. Sylla turbo & procella Reipublicae Romanae, irarum furis agitated universam urbem, omnes Italiae partes atrocissimis civium cadibus ac sanguine cruentavit. Commodus Imperator iram incitatus balneatorem in fornacem ardentem coniecit, quod balneum ingressurus, tepidiusculum id invenisset. Tamberlanes Scytharum rex, cum videret, pueros & puellas candidis vestibus amictos, oleoque fertis redimitos, pacis exoranda causa, sibi obviam mitti, rabiosam iram inflammatum equitatum in eos immisit, omnesque miserè prostravit & conculcavit, & reprehensus ab amico: Cave, inquit, ne iram atque furorem DEI temerè accuses. Sed quid longinqua ex veterum annalibus exempla repeto? Convertamus nos ad propinqua, quae aetas nostra vidit, ac etiam nunc non absque ingenti dolore videt. Quis nescit, quam exitiosa atque funesta irarum fax, in Belgio & Gallia regno multis ab hinc annis accensa, adhuc ardeat? Quis ignoret tyrannidem Hispanicam? cuius furore multa hominum milia in Belgio, omnibusque fortunis despoliata, bonis omnibus ex-

ut a carcere, vinculis, equuleo, ferro, cruce, flamma, defossionibus, mersionibus, indicta caussa, atq; etiam non raro in tempesta nocte, contra usitatam judiciorum formam, contrucidata sunt. Quis absq; luctu & horrore carnificinam Gallicam recordari queat? in qua circiter triginta hominum millia, paucorum dierum spacio interfecta sunt: non in praelio sed in summa quiete: non armati, sed partim nudi, atq; in lectulis dormientes; partim supplices, atq; sicariorum misericordiam implorantes: non unum in locum coacti, sed suis quiq; in civitatibus ac domiciliis constituti: non per judicium ac legitimam questionem, sed rabieq; impetuq; furentis populi: atq; in eo numero quàm plurimi morbis affecti: multi senes, multe nobiles matronae, generosae virgines, mulieres praegnantae, pueri infantesq; complures, viri deniq; per multi eruditissimi clarissimiq;, & ab omni armorum & tumultus suspicione remotissimi, fuerunt. Ex his exemplis facile constare arbitror, nullam esse bestiam truculentiorē, humaniq; generi magis perniciosam, quàm iram: quippe quae non solum animū uniuscujusq; intestino bello vexat: sed foras quoq; prorumpens, turbulentas dissensiones, insidias, caedes, hominum strages, civitatum ac imperiorum everisiones, atq; adeò omnis generis tum privatas tum publicas calamitates importat. Verum hanc nostram admonitionem non de quavis ira accipi velim. Nam ea quae rationem in consilium adhibet, bonumq; finem sibi propositum habet, tantum abest, ut vitiosa videri debeat, ut etiam in laude ponenda sit. Est enim naturalis affectio, ad injurias propulsandas homini attributa: itaq; & Philosophi ejus mediocritatem laudant, eamq; fortitudini tanquam rerum magnarum administram adjungunt. Quàm ob causam veteres Academici, teste Cicerone, irā ἀνυμνήτης αἰνός γένηται, id est, eotem fortitudinis appellaverunt. Immo vero & sacrae litterae iram moderatam probare videntur nec enim vetant irasci, sed per iram peccare vetant.

Sic enim scriptum est: Ita irascimini, ut ne peccetis. Quocirca irasci licet, sed impietati, injustitia, ceterisque vitis: sed moderate, & cum tempus ac locus postulans. Quae cum ita sint, Auditores optimi, omni studio connitendum nobis est, ut iram rationis imperio coercemus, diligenterque caveamus, ne per eam in aliquam turpitudinem prolabamur. Audiamus Aristotelem, qui iram comparat milisi, praecalacritate etiam injussu imperatoris ante aciem excurrenti, qui statim revocandus fit. Audiamus Senecam, qui monet, maximum irae remedium esse dilationem, ut primum ejus fervor relanguescat, & caligo quamentem premit, discutiatur. Audiamus Athenodorum philosophum, qui ab Augusto tempore discessurus hoc ei preceptum  $\mu\upsilon\eta\mu\omicron\sigma\upsilon\upsilon\omicron\upsilon\pi$  reliquit: Ne quidquam iratus aut diceret, aut faceret, nisi viginti quatuor Graecorum literis prius recitatis. Audiamus denique & Socratem, qui, Non utimur (inquit) aqua turbata, nisi constitierit: multo minus utendum est animo commoto, antequam ad se redierit. Sic fecisse scribitur Archytas, qui servo, à quo graviter offensus fuerat, dixerit: Quo te modo accepissem, nisi iratus essem. Quapropter & nos demus operam, ut iram, quantum in nobis est, devitemus, aut si omninò vitari non queat, eam moderemur, & intra rationis doctrinaeque gyrum contineamus, atque adeò Achillis Minervam audientis exemplum imitemur.

## D I X I.




ORA-

ORATIO TERTIAE  
CLASSIS, RECITATA

4

CHRISTOPHORO SCHLAVDERSBACH

NORIBERG.



**P**RAECLARE *Epicharmus* Deum labore omnia bona hominibus venalia proposuisse ait. Nec minus verè ac sapienter poëtarum rex *Virgilius*, Labor (inquit) omnia vincit improbus. Nihil est enim in rebus humanis tam magnam atq; praeclarum, nihil tam arduum atq; difficile, quod virtutis studio, labore & contentione superari ac obtineri non queat. Atq; hujus quidem rei exemplum illustre nobis propositum est in *Hercule*, cujus cum Centauro dimicantis eumq; vincētis simulachrum in nomismate nostro impressum effigūm q; habemus, cum hoc Emblemate: Gaudet certamine virtus. Fuit autem *Hercules* *Iovis* & *Alcmena* filius, qui quum

Cc

primum



primum adolefceret, fingitur exiisse in solitudinem, ibiq; velut  
 in Bivio Pythagorico hesitasse ac deliberasse, usram vitæ viam  
 ingredi, & voluptatemne an virtutem consecrari deberet. Tunc  
 ei duas fæminas obviam venisse ajunt, quarum una pretioso  
 splendidoq; vestitu ornata, & nitore fucato illita viam volu-  
 ptatis monstravit; vitamq; ei suavem omniq; deliciarum genere  
 circumfluentem, promiserit: altera autem veste vili candidaq;  
 amicta, & vultu liberali prædita virtutis viam, sed laboriosam,  
 cum perenni tamen felicitate & gloria conjunctam, ostenderit  
 & commendavit. Adolescens itaq; utriusq; oratione accuratè  
 perpensa, tandem virtutis viam sibi ingrediendam existima-  
 vit. Itaq; duce virtute, comite labore, multa pulcherrima & præ-  
 clarissima facinora edidit, quæ à Diodoro, à Livio, à Dionysio, à  
 Virgilio, Ovidio, Theocrito aliisq; scriptoribus commemoran-  
 tur. Atq; ut de innumeris pauca delibemus? Quum Hercules  
 adhuc in cunis vagiret, duos ingentes angues utraq; manu pre-  
 hensos constrictosq; interemit. Adultus hydræ virulentissi-  
 mam multisq; capitibus & colubris insignem interfecit. Leo-  
 nem immanissimum nudis manibus apprehensum discerpfit, eiq;  
 pellem detraxit. Busiridem Aegypti regem, advenas suos ma-  
 ctare & immolare solitum, obruncavit. Antæum Gigantem  
 secum colluctantem compressit ac suffocavit. Cacum Vulcani fi-  
 lium, Italiam nefandis atrociniis ac incendiis infestantem de  
 medio sustulit. Centauros fregit & subegit. Geryonem Hispa-  
 niæ regem tricorporeo bello superavit, ejusq; boves abegit. Dra-  
 conem in hortis Hesperidum aurea mala custodientem interfe-  
 cit. Cerberum tricipitem ab inferis extractum nocavit. Quid  
 multa? Homines maleficos, immanes bestias, horrenda monstra  
 propè infinita confecit atq; oppressit. Ideoq; monstrorum domi-  
 tor, & ἀντιμύων καὶ ἀλεξιπύων, i. e. egregius victor & malorum  
 depulsor appellatus est. Tandem verà multiplicis laboris ac sudo-  
 ris spacio decurso, pyræ in monte Oeta extractam & incensam.

conscendit, & quod mortale habebat, combussit: quod divi-  
 num, id in caeleste domicilium secum evehit. Verum sub his fabu-  
 larum involucris latet aliquid gravius, quod explicandum atq;  
 excutiendum videtur. Sic enim nunc statuamus, Herculem no-  
 strum nil aliud esse, quàm ideam quandam omnium virtutum à  
 sapiente vetustate posteris ad imitandum propositam. Nam pri-  
 mò id ipsum varia ipsius nomina indicare videntur. Primum e-  
 nim appellatus fuit Alcides, à græca voce ἀλκῆ, qua excellens a-  
 nimi vis, & corporis robur, praesidium virtutum & remedium  
 vitiorum significatur. Deinde dictus est Hercules, quasi ἥρως  
 ὀπλῶος, id est, heroum gloria: vel quòd ille inter ceteros he-  
 roas, velut Hesperus inter stellas eluxerit: vel quia gloria non  
 ignavos, sed fortes heroës beneq; de humano genere meritos im-  
 primis comitetur. Et quoniam non solum naturæ doctrinæq; ad-  
 jumentis, verùm etiam singulari divini numinis afflatu ad res  
 praclare gerendas opus est: idcirco fingitur Iovis satù procrea-  
 tus: susceptus ex matre Alcmena, id est, ex constantia & perse-  
 verantia in laboribus, difficultatibus & periculis, virtutis &  
 gloriæ causa subeundis ac perferendis. Deinde secessus ejus, atq;  
 solitaria cum duabus mulierculis collocutio, nil aliud significat,  
 quàm maturam & tacitam quandam de vita instituenda deli-  
 berationem: cui intervenerit ratio & appetitus, cum quibus ad-  
 olefcens aliquandiu quidem victoria contenderit, ad extre-  
 mum tamen rationem ducem secutus, viam virtutis iniverit,  
 in eaq; ita perrexerit, ut nulla enim neq; animi mollicies, neque  
 extrinsecus objecta voluptatis species, neque laborum difficul-  
 tas, neque periculorum terror revocare ac depellere potuerit.  
 Deinde non monstra & belluas, sed vel latrones & tyrannos (ut  
 quidam putant) vel (ut nos interpretamur) pravas cupiditates  
 ac vitia, quæ ferè insensissimi humani generis hostes censentur,  
 oppugnavit & superavit. Neq; etiam clavam nodosam, gravem  
 duroq; ex robore constantē gestavit: sed labores immensos, sum-

mas difficultates, maxima pericula, quae clava figmento notantur, in vitiorum monstris expugnandis conterendisq; subit atq; sustinuit. Quod vero nunquam è manibus clavam deposuisse fingitur, id vigilantiam & constantiam ipsius indicat: Providerat nimirum hoc genus belli non uno alterove anno confici posse: sed perpetuum id esse, multasq; habere vicissitudines, atq; ancipiti victoria saepenumero pugnari. Exuvium porro leonis, quod illi velut paludamentum affingitur, victoria ex hostibus devictis reportat. & signum est. Rogus deniq; ardens quem conscenderit, indicat ardentissimum vitae melioris desiderium, quo incensus ac inflammatus, se ab hac mortali concrezione, segregavit, atq; ad aethereas illas sedes, ubi virtutis braebum repositum erat, evolavit. Neq; enim mors est interitus omnia tollens atq; delens: sed quaedam quasi migratio commutatioq; vitae, quae claris viris ac saeminis dux in caelum esse solet. Quemadmodum chorus apud Senecam de Hercule Oetco eleganter canit:

„ Nunquam Stygias fertur ad umbras:  
 „ Inclyta virtus. vivite fortes,  
 „ Nec Letheos saeva per amnes.  
 „ Vos fata trahent: sed cum summas  
 „ Exiget horas consumta dies,  
 „ Iter ad superos gloria pandet.

Hoc pulcherrimum Herculis exemplum, Auditores, de tribus gravissimis rebus nos admonet. Nam primum homini in hanc vitam ingresso duplicem actionum viam proponit: alteram virtutis, principio fortasse difficilem atq; asperam; exitu certe salutare atq; gloriosam: alteram vitij, initio planam; facilem, oculisq; jucundam; sed in fine precipitem, ac deviam, atq; in extremum salutis & fame discrimen nos adducentem. Deinde reliquum vitae cursum multis laboribus, difficultatibus atq; periculis definit, adeoq; ostendit nostram in his terris vitam esse perpetuam quandam mili-

militiam, in qua cum pravitate animi, cum tetra mentis caligine, cum vitiorum turpitudine, tanquam cum hostibus continenter nobis confligendum sit. Postremo egressum quoque ex hac mortalē vita describit, atque animorum è corpore migrationem itidem duplicem nobis ob oculos ponit: quarum una ad premia, altera ad pœnas sempiternas deducat. Quæ cum ita sint, Adolescentes studiosi, exemplum Hercules secuti, primum maturè de vita instituto cogitemus, & pro viribus enitamur, ut à fallaci & exitiosa voluptatis via averſi, semitam virtutis, proborum hominum vestigiis notatâ ingrediamur, ab eaque nulla omninò re nos deterreri aut avocari patiamur. Quia verò maxima atati nostræ inest imbecillitas, & imperitia atque temeritas, qua fit, ut in delecturæ sæpe fallamur, & errore mentis res noxias tanquam salutareſ conſectemur & amplectamur: idcirco non nostris iudiciis solis niti debemus: sed viros bonos, prudentes, eruditos, nobisque benevolos in consilium adhibere, eisque tantisper obtemperare, dum ipsi rationibus nostris prospicere & consulere possimus. Deinde quia non satis est, laudabiliter capisse, nisi perseveremus: & verò cum hostium nostrorum magna sit vis atque calliditas: ideo singularis & vigilantia & constantia adhibenda nobis est: & quoties res postulat, legitimè dimicandum, hoc est, pravis cupiditatibus, perversis improborum consiliis, pessimis aequalium exemplis, insidiosis voluptatum illecebris, variis denique adversa fortuna telis fortiter resistendum est: omnesque cogitationes nostræ, omnia dicta & facta ad voluntatem divinam conformanda: donec tandem laborum ac vitæ cursu confecti à Deo agonotheta summo ad premia evocemur, atque perennis felicitatis coronâ ornati ævo sempiterno fruamur.

D I X I.

Cc 3

ORA-

ORATIO QUARTAE  
CLASSIS, RECITATA

IOHANNES VASTER  
NORIBERG.



**I**n nomine nostro, Auditores humanissimi,  
Expressus est cervus arrectis attentisque auribus. Estque hoc Emblemata additum: Arrecta attentior aure. Quod ut planius ac plenius intelligatur: breviter tum de auditu, tum de auditoris officio dicendum videtur. Inter reliquos sensus, quos summus ille rerum opifex Deus animantibus, tum salutis querendae & conservandae, tum exitij cavendi & avertendi causa tribuit, principatum obtinent visus & auditus: quae propterea et eundem aetate a ceteris ab Aristotele appellantur. Ex his vero duobus uter sit praestantior, dubitari forsasse possit. Nam si vitam comoda atque disciplinarum inventionem spectemus, Aspectui:  
sive-



si verò artes atq; scientias jam quasitæ & inventas, quæ opini-  
 onum sententiarumq; communicatione indies augeri, & magis  
 magisq; perfici possunt, consideremus, Auditui primæ deferendæ  
 videntur. Nec sanè immeritò. Nam & Aristoteles auditum  
 ἀκρόασις τῆς τοῦ αἰσῶτος, id est, disciplinæ sensum appellat: quasi in-  
 strumentum disciplinis & tradendis & percipiendis imprimis  
 accommodatum. Deinde experientia docet, cæcos mutis sur-  
 disq; plerunq; prudentiores esse: quia aures ad scientiam plus ad-  
 jumenti quam oculi conferre soleant. Atq; hæc caussa fuit (in-  
 quit Plutarchus) ut parentes liberos suos amanter complexi, eo-  
 rum aures imprimis exoscularentur. Sic enim illos capite ma-  
 ximè proficere posse significabant. Sed de præstantiâ hujus sen-  
 sus aliàs commodior erit dicendi locus. Iam instrumentum au-  
 ditionis paulisper aspiciamus. Aurium introitus extrâ sibi  
 appositus habet auriculas, quæ & externas injurias arcere, &  
 appulsas voces commodius excipere ac retinere queant. Atq;  
 hæc quidem homini ferè sunt immobiles, quàm quoties libet aut  
 opus est, eas obtegere atq; vestire possit. Cæteris animanti-  
 bus, ratione & instrumento rationis, hoc est, manu carentibus  
 mobiles auricula, quæ facillè & deprimi & attolli possent, à na-  
 tura tributa sunt. De cervis memoriæ proditum est, eos demis-  
 sis auribus tardioris & hebetioris auditus esse, siquidem exter-  
 ni aëris appulsus obstantibus auriculis, in aures insuere neque-  
 at: sed arrectis auribus acerrimè audire. Hujus animantis  
 imago & exemplum, Adolescentes suavisissimi, admonet nos de  
 officio attentæ auditoris: quod quidem in eo positum est, ut men-  
 tem erectam & aures attentas ad præceptorum explanatio-  
 nes, ad eruditas disputationes & orationes, secum afferat. Ni-  
 hil enim homini studioso utilius & fructuosius, quàm multa  
 discere: nihil facilius & jucundius, quàm multa audire.

Magna

Magna quidem varia lectionis videtur esse utilitas & voluptas: sed auscultationum iucunditas multo major, fructusq; longè uberior est. Nam ut proverbio dicitur, ῥῶς ἢς φωνῆς μείζων ἐσὶ ἐν ἔργῳ, id est, viva vocis longè major est vis. Hac enim penetrat in animum, eumq; magis excitat, atq; etiã ab aliis cogitationibus, quæ legenti plerunq; obstrepere solent, avocat. Itaq; & facilius menti adherescunt, & firmiter imprimuntur, & diutius retinentur, quæ attentè audiveris, quàm quæ legeris. Deinde magis animos exempla quàm præcepta movent, longèq; gravior viventium quàm mortuorum est autoritas. Contra verò lectio est muta, nec mentem satis penetrat; quin immò, si pertinacius continuetur, legenti languorem affert. Nec sanè studiosis adolescentibus quidquam tam incommodat, quàm assidua inter libros delitescendi consuetudo, & publicarum auscultationum & congressuum neglectio. Nam interim jacet rerum usus, solertissimus vitæ humanæ magister, qui multa monet, multa docet, quæ nec in scholis & Academiis, neq; in privatis & solitariis Museis satis agnosci possunt. Quod cum M. Tully Ciceronis pater intelligeret, maturè filium (ut ipse lib. 1. de oratore testatur) ad Scævolum deduxit, ut quoad posset ac liceret, à senis latere nunquam discederet. Itaq; multa ab eo prudenter disputata, multa breviter & commode dicta memoriæ mandavit, ejusq; colloquis ac consuetudine & melior & doctior evasit. Verum quid hæc nostra sit ætate? Pleriq; adolescentes, quamprimum ad publicas acroases admittuntur, statim falsa doctrinæ persuasionem insolescunt, studium atq; industriam remittunt, monitores ac præceptores spernunt. Quo fit, ut quemadmodum Bion dixit, ἡ οὐκ ἔστι ἐγκοτὴ τῆς προκοπῆς, id est, opinatio sit profectus progressionisq; retardatio & impedimentum. Sic inanis ista arrogantia facit, ut idè ad sapientiam non perveniant, quia jam se pervenisse eò existimant. Hinc tanta est bonorum ac eruditorum virorum penuria, tantus sophistarum & inuti-

inutilium terra ponderum proventus, tantum deniq<sup>3</sup> fidelium  
 praeceptorum odium atq<sup>3</sup> contentus. Quae cum ita se habe-  
 ant, adolescentes charissimi, etiam atq<sup>3</sup> etiam vos moneo, ut &  
 vestros praeceptores diligenter attenteq<sup>3</sup> audiatis: & hominum  
 eruditorum familiaritati & congressibus, quibus & ingenia a-  
 cuuntur, & morès corriguntur, & doctrina miris modis au-  
 getur, operam detis: atq<sup>3</sup> tandiu à praeceptoribus discendum pu-  
 tetis, quoad vos (ut Cicero ait) quantum proficiatis, non pœ-  
 nitebit.

D I X I.



DI

GRA-



GRATIARVM ACTIO,  
RECITATA

ab

ANTONIO HVEBNERO  
VVURTZBURG.

QV ANQV AM pro beneficiis, quibus & Deo  
Opt. Max. & ornatissima huic corona obstricti tenemur,  
pares gratias referre haud quaquam possimus: quantas tamen  
animus capere potest maximas & agere & habere debemus.

Primum igitur tibi, aeternae, ac praepotens omnium rerum  
moderator Deus, gratias agimus, & habemus immortales, quod  
hanc regionem, hocq; virtutum & doctrinarum domicilium,  
ejusq; autores & patronos, ab omnibus bellorum, incendiorum,  
morborum ac tempestatum periculis, & calamitatibus, haec-  
nus defenderis: & vero, quaecunq; ad studia literarum, ad com-  
munem usum, vitaeq; cultum pertinebant, liberaliter, ac abun-  
de sup.

*dè suppeditaris. Da hoc quaeso bonitati tuae, ut in posterum quoque inter horribiles procellas, saevasque tempestates, quibus orbis Christianus jactatur, hanc literarum sedem tuearis, & pro tua in nos benignitate, efficias, ut muneribus & officiis nostris quietè fungamur: atque ita vivamus, ut vitæ rationem tibi simul & hominibus aliquando reddere possimus.*


*Deinde vobis, amplissimi ac prudentissimi Domini Scholarchæ, vosque reliqui Academiae hujus patroni nobiliss. & clariss. vobis, inquam, gratias maximas agimus, non solum pro eximia in nos totamque hanc Academiam liberalitate & munificentia: verum etiam pro honorifica vestra presentia, qua hanc panegyricum exornare atque illustrare haud gravati estis. Et quoniam in rebus humanis nihil est tam benè constitutum, quod non vel temporis longinquitate, vel hominum iniquitate deterius fiat, nisi assiduâ curâ atque diligentia sustentetur ac cõservetur: idcirco quemadmodum nauta ad verso flumine, ac vento, navim remis impellens, nihil de sua industria summaque contentione unquam remittit: sed ibi vehementissimè brachia contendit, ubi cursum amnis incitatissimum, ventumque violentissimum animadvertit: ne videlicet impetu illius abreptus, eò quò nolit, deferatur: Sic vos, patroni summi, quibus in tutanda Academiae vestrae dignitate, cum humanae conditionis perenni mutabilitate, contraque improbos invidiæ conatus contendendum est, providere & cavere debetis, ne de studio, sollicitudine, industria, qua hætenus usi estis, quicquam relaxetis: sed in eam rem omni cogitatione, curaque incumbatis, ut schola vestra, æquabilem dignitatis cursum, perpetuò teneat, eumque ad divini nominis gloriam, ad Reipublicæ vestrae decus, ad commune humani generis emolumentum dirigas, atque accommodet.*

*Deinde gratias vobis agimus, Rector Magnifice, vosque ceteri*



professores clarissimi, praeceptores summè observandi : pro singulari vestro studio, labore, fide, & industriâ, quam in nobis erudiendis, & ad omnem laudem confirmandis, effringendisq; adhibuistis. Oramus porò & obtestamur vos, ut deinceps quoq; pari amore ac benevolentia nos complectamini: & verò mentes nostras sapientiâ, animos virtute, linguas eloquentiâ instruere, & ornare pergatis. Nos vicissim pro viribus connitimur, ut neq; diligentiam, neq; observantiam & honorem, neq; gratiam vobis debitam in nobis desiderare possitis. Ad extremum gratias agimus vobis, Illustris D. Comes, Inclyti & generosi D. Barones, vosq; reliqui tum nobilissimi, ac ornatissimi adolescentes: tum hospites, quotquot adestis, longè gratissimi, vobis, inquam, universis gratias agimus singulares, quod Academia nostræ Encania vestro jucundissimo conspectu, & præsentiam amplificare, & condecorare volueritis. Nos vicissim studia, officia, & obsequia nostra singulis pollicemur ac deserimus: & etiam atq; etiam à vobis petimus, ut orationis brevitatem & tenuitatem in bonam partem accipiatis.

D I X I.



PAN-



XVII.

PANEGYRIS ANNI

1593.

SVB RECTORATU

D. M. IOHANNIS PRAETORII

*Mathematici.**Oratio prima classis, recitata**ab**Illustri & generoso Domino, Domino**IOHANNE ALBINO SCHLICK,**Comite in Passaun & Weisenkirchen.*

**N**EMINEM vestrum esse arbitror, Auditores  
ornatissimi, qui non breuem & planam potius, quàm lon-

*Dd 3 gam*

quam & futilitatis plenam orationem à me expectet. Sic enim mihi persuasum est, nihil eruditius auribus molestius, atque odiosius accidere posse, quam verbosam rerumque inanem concionem. Ne igitur molestiam audiendi, fastidium vobis afferat oratio mea, quam brevissime planissimeque, potero, Emblemata à Magnifico Rectore nostro mihi impositum, interpretabor: atque ut olim in vindiciarum lite, in una gleba ad prætorum allata, tanquam in toto agro vindicare solebant: sic ego, cum paucissima attulerò, in ijs tamen pertractandis ita versabor, ut rem universam ob oculos posuisse, atque explicasse videar. A vobis auditores humanissimi, peto quæsoque, ut vestra humanitatis fontes, qui cæteris adolescentibus antehac maxime patuerunt, mihi quoque aperiat, meque attentè bonaque cum venia audiat.

Quanta sit vis, quam multiplex utilitas honesta disciplina, & institutionis, id scitè atque eleganter docet Nomisma sive Brabeum nostrum, in quo effigies cernitur aviculae, quæ è cavea sua elapsa, fortè incidit in ramos visco illitos, quibus inhaerescens amplius se extricare non potuit: habetque adjunctum hoc Emblemata: Effugiens pereò, seu Damnoza libertas. Quid enim aliud est disciplina, quam veluti septum quoddam quo adolescentem contineantur, atque tum laudandarum doctrinarum studiis, tanquam suavissimo saluberrimoque animorum pastu alantur, tum legibus & salutaribus institutis, ad officium, omnemque honestatem informantur, & erudiantur. Ex quo jam illud perspicuum est: primum præcipuumque boni, & ingenui adolescentis officium esse, amare disciplinam, & parentibus, atque magistratibus, Ecclesiasticis, politicis, & scholasticis obtemperare. Est enim eximia quedam virtus, & singulare bonum, obedientia, quippe, sine qua, nec cælestia, nec terrena, nec publica, nec privata munera, atque officia rectè administrari possint. Nam, quo pacto, Solis, & Lunæ, cæterorumque siderum perennis, atque perpetua motio, naturas inferiores moveret, cunctisque vim salutata-

lutarem, maximeq; vitalem largiretur, & qua ratione signorū ortus, obitusq; definitum quendam ordinem servarent, & dierum & noctium, mensium & annorum spatia, ad usus humanos, aptè & accommodatè distinguerent, nisi universa naturæ opifici, ac moderatori obtemperarent? Quod regnum, qui principatus, quæ civitas, qui pagus, rectè gubernari, diuq; constare posset, si non cives ac subditi, legibus, & institutis eorū, iussis Magistratuum parerent, honestamq; disciplinam morum probitate tuerentur? Quæ domus rectè constitui, regiūq; posset, nisi uxor, liberi, servi, ceteriq; domestici, patrisfamilias voluntati obsequerentur, ejusq; mandatis obedirent? Quod bellum feliciter suscipi, & geri, quod prælium iniri, quæ victoria obtineri posset, nisi milites Imperatoris, sive ducis auctoritatem sive imperium sequerentur? Quid de scholis atq; Ecclesiis dicam? num absq; disciplina conservatione statum suum integrum tenere poterunt? Minimè omnium Nisi enim auditores, vitam moresq; suos ad Doctōris sive Magistri salutarem doctrinam instituant, atq; conforment, unà cum disciplina interitu Scholarum, & Ecclesiæ statum turbari & labefactari necessum erit. Relinquitur ergo, nullam omninò esse multitudinem, nullum cæcum jure sociatum, qui absq; disciplina, & obedientiæ præsidis salutem ac dignitatem suam tueri, & conservare possit. Itaq; non absq; causa Scatius exclamat:

Quid enim terrisque poloque patendi. — Sine lege manet?  
 Et Solon interrogatus, quæ ratione Respublica florens, & beata servari posset? Respondit: Si cives Magistratibus; Magistratus verò legibus obtemperent. Nec minus verè & eleganter Aeschylus: τῆρ περὶ ἀρχῆαυ τῆς εὐπραξίας μητέρα, καὶ σωτήρος γυνῆα, h. e. obedientiæ felicitatis matrè, & Servatoris conjugè appellavit. E contrario autè, quā multa mala publicæ disciplina comitatus rebus humanis importet, Imperiorū ruina, rerū

publicarum commutationes, civitatum tumultus ac seditiones, scholarum turba ac dissidia, Ecclesiarum deniq; distractiones & dissipationes declarant. Quae enim natio quantumvis florentissima, illiusmodi morbo, tanquam occulto quodam veneno non infecta debilitataq; fuit? Legite historias tum sacras, tum prophanas, tam veteres, quam recentes: videbitis profecto, plerasq; gentes contempta abjectaq; disciplinae pœnas dedisse. Sed de his aliàs commodior foret dabitur dicendi opportunitas. Iam temporis ratio postulat, ut quantum privata disciplina valeat, dispiciamus. Privatam verò disciplinam hîc appello, pulcherrimam illam morum reginam, qua duce adolescentes parentum ac praeceptorum imperio obtemperant, atq; ex eorum praescripto, consilia actionesq; suas dirigunt, & conformant. Atq; hac quidem magistrâ, nihil adolescentiae melius, nihil fructuosius magisq; necessarium est. Nisi enim ad ingenium adolescentis diligens institutio accommodetur, non facile ullum virtutis ac doctrinae fructum feret. Nam ut ager, nisi probe colatur, sentibus ac tribulis obducitur: sic animus tenellus, nisi rectè instituat, facilimè vitiiis occupatur, atq; corrumpitur. Quemadmodum verò industrius agricola, agrum noxiis herbis repurgare solet: sic recta disciplina animis adolescentum, pravas opinioniones, & vitiosas cupiditates eripit, omneq; animi desiderium, ad virtutem & sapientiam traducit & assuefacit. Sic igitur statuamus, suavissimi condiscipuli, disciplinam nihil aliud esse, nisi culturam quandam fructuosissimam, qua animi nostri probe subacti, conceptis virtutum ac doctrinarum seminibus, uberrimam sapientiae ac felicitatis segetem proferant, atq; tum sibi, tum ceteris usui, & ornamento esse possint. Ex his jam consequitur & illud, parentum ac praeceptorum consiliis, monitisq; singulari studio obtemperandum esse. Quae egregia virtus, non solum nos probiores & eruditiores, verum etiam fortunatiores facit. Obedientiam enim, vita à plerisq; vitiiis flagitiisq;  
immu-




immunis, benevolentia divina & humana, prosperi optatiq;  
 rerum successus, & verò lucis hujus usura maximè diuturna,  
 tanquam fructus præmiæ, divinitus promissa, plerunq; comi-  
 tantur. Contrà verò nihil turpius, ac perniciosius est, quàm  
 contumacia, omnis honesta disciplina neglectio, atq; contentio.  
 Nam qui rectè institutioni parere recusat, & parentum ac ma-  
 gistrorum jussa contemnit, ac præcepta negligit, is effrenata li-  
 bidinis plerunq; fit mancipium, suaq; dementiâ præceptis in omnis  
 generis flagitia, & quæ horum pœna sunt, calamitates & mise-  
 rias incidit. Cujus rei exempla propè infinita in omnibus Aca-  
 demiis, nos absq; magno multorum parentum & amicorum  
 dolore, animadvertere licet. Nam quotuscumq; adolescens,  
 quãvis domi probè institutus, in Academiâ mittitur, qui ingen-  
 nium suum non mutet, ac potius aperiat, suisq; cupiditatibus  
 frenum laxet, & quicquid libeat sibi licere putet? Et verò qui  
 in multitudine, & pravitate exemplorum, in errorem & frau-  
 dem capitalem, non inducatur? Quodcumq; enim exemplo sit,  
 id vulgò rectè fieri putatur. Tantaq; prava consuetudinis vis  
 est, ut etiam bona ingenia, & à flagitiis abhorrentia, sæpenum-  
 ro corrumpantur. Neq; ulla est Academia, in qua non reperi-  
 antur amatores, aleatores, potatores, gladiatores, aliq; id genus  
 voluptatum ministri, qui adolescentulis facem, ad omnem libi-  
 dinem & turpitudinem præferunt, eosq; contagione sua infe-  
 ctos, ac depravatos, in maximum probitatis, sanitatis, & fortu-  
 narum periculum & discrimen adducunt. Nam adolescens,  
 talem ducem & signiferum secutus, à conspectu & consuetudi-  
 ne doctorum & bonorum virorum abhorret: disciplinam fa-  
 stidiosè respuit, leges contumaciter aspernatur, Magistratum  
 superbè contemnit, perpotationes consecratur, genio & libidi-  
 nibus indulget, turbas rixasq; concitat, nocturnis adium oppu-  
 gnationibus, & insanis clamoribus hominum quietem turbat

puerperas, ceteramq; imbellem faminarum & puerorum, itemq; agrotantium multitudinem perterret. Ad hæc pecunias, temere in res aut non necessarias, aut turpes, ac perniciosas profundit, grande æs alienum contrahit, iniquas solutionis moras interponit, vanisq; promissis creditores ducit, datam fidem violat, vadimonium deserit, in fugam turpissimam se conjicit, ac creditoribus damnnum, Academia molestias relinquit. Ad extremum redit domum, quam abierat indoctior, aut nihilo, quam venerat, eruditior, pecuniã per ignaviam profusã, atatus flore nequiter contrito, ore vultuq; impudenti, halitu fetido, facie catatricibus deformata, maxillis & fauibus meretriciã scabie adesis, naso seculo aut decurtato, manu mutilata, membris trementibus: cujus conspectus parentibus mœrorem, propinquis luctum, amicis dolorem affert: & Magistratui offensionem, civibus risum commovet. Hac nimirum sunt damnosa libertatis premia, hispretæ contemptaq; disciplina fructus. Quapropter adolescentes ornatissimi, si salus vestra & incolumitas vobis cura est: si conscientie labem, infamia dedecus, patrimonij naufragium evitare cupitis: si parentibus honori, amicis jucunditati, Reipublicæ & Ecclesiæ emolumenta esse pulchrum putatis: a viculam brabeis vestris impressam crebro aspiciate, eiq; adjunctum Emblemã, etiam atq; etiam cum animis vestris cogitate. Ut enim a vicula, quam diu in caveis inclusa tenetur, à periculis tuta & recta est: at simul atq; evolverit, insidiarum telis sese proponit, atq; vel ceteris volucris præda fit, vel ab aucupibus capitur, & obtorto collo necatur: sic adolescens, dum honeste disciplina sinibus coercetur, à vitiis plerisq; & flagitiis abstinet: Quamprimum vero convulsis disciplina officijq; repagulis solutè libereq; versari caperit: statim corruptelarum illecebris irretitur, variis erroribus, flagitiis & periculis implicatur. O felices igitur & fortunatos vos adolescentes, si parentum ac præceptorum imperio, & institutioni vos totos committatis, si disci-

plina

plina jugum, damnosa libertati anteponatis, idq̄, tam diu aquo  
feratis animo, dum errorum & cupiditatum scopulos praterve-  
cti, virtutis sapientiaq̄, portum assequamini, & mores vitamq̄  
vestram ex rationis prescripto ipsi regere ac moderari possi-  
tis.

D I X I.  
O R A T I O S E C V N D A E  
C L A S S I S, R E C I T A T A  
*ab*  
H E C T O R E K O R N F A I L  
in V V u r m l a A u -  
s t r i a c o,



**I**N Brabeo nostro, Auditores Humanissimi,  
Imago hominis ritè sacrificantis, ob oculos ponitur, estq̄, ad-  
scriptum hoc Emblema: Mente manuque Quod ut melius in-  
telligatur, opera precium fuerit de Sacrificiorum ritu & u-  
su nonnihil è sacris Bibliis delibatum in medium proferre.

Sacrificiorum originem antiquissimam esse, inter omnes constat. Nam statim ab initio mundi homines partim natura duce, partim oraculis divinis admoniti, DEO aeterno & prepotenti, rem sacram facere cœperunt. Duo autem summa sacrificandi fuerunt genera: ἱλαστικὸν & εὐχαριστικὸν. ἱλαστικὸν latinè expiatorium, in quo animantibus ritè mactatis, sanguineq; fusis, hominum delicta, & errata expiabantur. Quod genus sacrificij amplius in usu non est: quippe quod Typus duntaxat fuerit vera illius hostie Christi Iesu, qui in ara crucis immolatus, iram Patris placavit, omniaq; perfecit, quæ ad gratiam, & salutem mortalibus restituendam, requirebantur. Εὐχαριστικὸν verò animi grati, acceptorumq; beneficiorum memoris testificandi causa institutum fuit: idq; vel animantibus, vel rebus inanimatis, ut thure, vino, aliisq; terra fructibus constabat. Nam aut pecudes mactabantur, aut frumentum terebatur, aut simila oleo conspersa & in sartagine frixa offerebatur, aut vinum fundebatur, quod libamen dicebatur, aut thus atque odores incendebantur, atq; adèd quibuscunq; tum mortales poterant rationibus Iehova magnificentiam celebrabant, eiq; & aëris salubritatem, & terra sæcunditatem, cæterorumq; bonorum copiam & ubertatem acceptam ferebant. Etsi autem hoc quoq; sacrificij genus obsolevisse videatur: tamen ejus expressam quandam imaginem intueri licet in novi fœderis sacrificiis, inter quæ principem locum tenet illud sacrosanctum epulum, quod εὐχαριστικὸν & Cœnam Domini appellamus, in quo corporis & sanguinis Christi communicatione factâ, beneficia ejus morte nobis parta commemorantur, animisq; gratis celebrantur. Huc deinde pertinent preces, & gratiarum actiones, quæ pro cæteris beneficiis fieri debent. Sic enim ipse Deus Psal. 50. repudiatis antiquis sacrificiis, hunc novum sacrificandi ritum nobis commendat. Num, inquit, taurina carne vescar, aut hircinum sanguinem bibam? Fac Deo sacrificium laudis: tum rerum ad-

ver-

versarum tempore, me invoca, & te eripiam. Idem planè D. Paulus in Epistola ad Hebraeos à nobis requirit: ut nempe assiduum laudationis sacrificium, hoc est, laborum fructum, nomen ipsius celebrantium, libemus. Est porro sacrificij Christiani genus, Beneficentia & liberalitas in pauperes. Quicquid enim in homines egenos & inopes erogatur, id Christus sibi tributum ait, vicissimq; ejus amplissimam remunerationem pollicetur. Quò pertinet & sui ipsius consecratio, qua nosmetipsos Deo totos offerimus, & consecramus. Quod quæ ratione fieri debeat, docet Apostolus, ut membra necemus, nostraq; corpora, hostiam sanctam Deoq; acceptam præstemus, hoc est, acri peccatorum sensu fracti, & prostrati, ad misericordiam divinam confugiamus: naturam nostram vitiosam agnoscamus, & quantum fieri queat corrigamus, ab omni maleficio temperemus, pravas cupiditates comprimamus, & verò totum nostrum animum à sensu studioq; corporis abductum, ad nutum & imperium divini Spiritus convertamus ac conformemus. Sed longiorem de Sacrificiorum generibus orationem, neq; hic locus, nec temporis brevitās admittit. Caterum hoc inprimis attendendum est, Deum in omni sacrificio non tam externas actiones, quam bonam mentem & puritatem spiritus spectare & approbare. Neq; enim mens illa beatissima, & purissima, omnisq; concretionis expers, vel strage pecudum, vel carniū nidore, vel odoribus & unguentis, humano artificio confectis, ducitur ac tenetur: Nec item cantibus, & precibus inaniter & sine mente fuis delectatur. Sic enim Iehova ipse apud Esaiam: Quid, inquit, mihi cum tot vestris sacrificiis? ne deinceps inane fertum admovete: à suffitu abhorreo. Et apud Hieremiam negat, se quicquam de sacrificiis præcepisse. At cur tandem negat, cum videamus illa tanto studio fuisse ex illius imperio præscripta? Ut ostendat, nulla sacrificia, nullas ceremonias, nullum



omnino honoris cultum sibi prebari, qui non ex pura mente, veraq; fide proficiatur. Atq; huc spectat & simulacrum in Bra-  
beo nostro effictum, & expressum, in quo cernitur ara, eiq; im-  
positus ignis ad sacrificia paratus, in quem homo propè astans,  
oculosq; in cælum attollens, dextra manu thus inspicere, sinistra  
vero pectus tundere videtur. Nam primum ara symbolum est  
cordis humani: ignis verò mentis, quæ instat flammæ sursum e-  
ritur, atq; ad ipsum VNVM, hoc est, rerum universitatis  
parentem Deum sese extollit. Ut enim pyramis (quæ figura igni  
tribuitur) ima sui parte latior paulatim in acutum tendit: sic  
animus humanus Dei amore inflammat, sursum à terra fer-  
tur, suaq; acumine infinitum illum divinitatis orbem, cujus  
centrum ubiq; peripheria nusquam est, attingere, seseq; cum su-  
prema sanctissimi numinis Vnitate conjungere conatur. At  
quoniam cum ea conjungi nequeat, nisi illi sit amicus, nec illi a-  
micus esse possit, nisi ad ejus similitudinem sese conformet; simi-  
litudo autem illa in pietatis & sanctitatis studio, & exercita-  
tione tota consistat: Idcirco oculis ad cælum conversis, thus in-  
cendendum, lavaq; manu pectus tundendum est. Quod pietatis  
symbolum, quia obscurum est, paulo distinctius & planius  
explicandum videtur. Perspicuum est, constatq; inter omnes,  
thuris vim atq; naturam hanc esse, ut faciliè inflammetur, &  
odorem suavisimum emittat. Itaq; prisca sacrorum antistites,  
illud sacrificiis adhibuerunt, ac pietatis nostriq; erga Deum a-  
moris symbolum esse voluerunt. Ut enim thuris fumus, ab igni  
& ardore excitatur: sic pietas, omnisq; cultus divinus, ab in-  
terna amoris divini flammâ suscitetur necesse est. Deus enim  
non lachrymam arboris, aut externi odoris suavitatem, sed ani-  
mum rerum cælestium amore flagrantem postulat. Lava dein-  
de manus pectus tundens, nihil aliud indicat, & innuit, quàm  
fletu, atq; suspiriis, veraq; animorum ad Deum conversione fla-  
gitia concepta expurganda, atq; delenda, omniq; studio con-  
ter-

tendum esse, ut animus à corporis contagio avocatus, in terris  
 cœlestem vitam meditetur, atq; imitetur. Quæ cum ita sint  
 Auditores humanissimi, etiam atq; etiam laborare nos decet,  
 ut mente manuq; hoc est, non externis, duntaxat gestibus, sed  
 multò magis animo à vitis, pravisq; cupiditatibus repurgato,  
 & pietatis atq; amoris divini facibus inflammato, ad religionis  
 nostræ sacra accedamus. eaq; oculis mentis nostræ in cœlum sub-  
 latis, obeamus, & peragamus, ut tandem Dei Opt. Max. grati-  
 am & amorem, hujusq; comitem sempiternam beatitudinem  
 consequamur.


D I X I.



ORA-

ORATIO TERTIAE  
CLASSIS, RECITATA

à  
GENEROSO DOMINO  
HENRICO BARONE  
à VVildenfels,



**I**N nostro congiario, *Auditores*, expressa est  
effigies & imago Panthera, cum hoc Emblemate: Allicit ut  
perimat. Est autem Panthera bestia, à feritate & immanitate  
sic appellata, facie truculentâ & terribili, pelle maculosâ, no-  
tisq; orbiculatis, ac nitentibus tanquam ocellis distincta ac  
variata: qua odorem de se mittit longè suavissimum, quo reli-  
quas feras ad se allicit, arreptasq; dilaniat, atq; devorat. Quo  
simulacro voluptas, domina blandissima, depingitur: quippe  
qua simili modo homines illecebris suis delinitos, toto impetu ad  
serapere soleat. Neq; verò omnis voluptas in vitio ponenda,  
fugiendaq; est. Sunt enim quaedam animi delectationes, qua

ex scientia, & contemplatione rerum, atq; ex virtute recte q; fa-  
 ctorum conscientia capiuntur: quæ tantum abest, ut sint asper-  
 nandæ, ut omnibus modis expetendæ esse videantur. Quædam  
 verò corporis sunt oblectationes, quæ à sensibus oriuntur. His  
 quatenus frui liceat, quæ non, diligenter nobis cogitandum est.  
 Quæ enim ex aspectu, odoratu, & auditu hauriuntur, minus  
 sunt obnoxia turpitudini: dum modo in ijs certatio, mode-  
 ratioq; adhibeatur. Nam qui perpetuo nitet unguentis, aut  
 ambrosios odores sumtuosius consecatur, aut oculos picturarum  
 & imaginum varietate impensius oblectat, aut musicis concen-  
 tibus, neglecto præsertim officio, nimio opere vacat, is in vitio est,  
 gravemq; reprehensionem merito incurrit. At quæ gustatu,  
 tactuq; percipiuntur voluptates, omnium sunt importunissimæ:  
 quæ nisi rationis imperio, quantum fieri possit, coercantur, homi-  
 nem sæpenumero in omne scelerum & calamitatum genus con-  
 jiciunt. Itaq; cum omni ætate, tum adolescentiæ in primis hu-  
 jusmodi voluptates fugienda sunt. Hæc enim ætas ob sangui-  
 nis fervorem, & humorum mutationem, & importunos animi  
 motus ad luxum, & libidinem maximè propendet, ideoq; in ma-  
 ximo, & probitatis, & valetudinis periculo versatur. Nam  
 qui turpes voluptates consecatur, is primò Deum, qui ubiq; pa-  
 ri intervallo à nobis distat, atq; acutis scelerumq; vindicibus o-  
 culis omnia lustrat, gravissimè offendit. Deinde, animi sui  
 statum labefactat, tantasq; menti tenebras offundit, ut nec mo-  
 dum à Deo, & naturæ præscriptum, nec ullum, sive decus, sive  
 probrum, sive emolumentum, sive detrimentum perspicere que-  
 at. Præterea corpori multa mala invehit: cerebrum ledit: vi-  
 tales spiritus absument, nervosq; debilitat, coloris seditatem, o-  
 mniumq; virium debilitatem inducit, tandemq; præmaturum  
 atq; acerbum vitæ interitum affert. Rarissime enim voluptu-  
 arij ad senectutem perveniunt, quippe quibus idem ferè, quod


vernis arborum floribus accidere solcat: quorum pleriq; ante  
 maturitatem vel erosione vermium, vel tempestatibus pereunt.  
 Ad hæc fame & existimationi sua labem aspergit: rem fami-  
 liarem dissipat & perdit, conscientiam vulnerat, atq; ad ex-  
 tremum nihil præter iniustum & impressum dedecus, & gravis-  
 simam pœnitendi causam, & doloris materiam uberrimam sibi  
 reliquam facit. Hæc nimirum est illa venefica, quæ venenum  
 melle oblitum propinat: hæc est illa pulchra, belleq; depicta pyxis,  
 quæ salutaris medicina loco cicutam & aconitum continet: Hæc  
 est illa bestia μεδουσῶνος, quæ blandissimo principio tetrum exit-  
 tum subtexere solet: Hæc deniq; est truculenta & immanis illa  
 Panthera, quæ adolescentes, odoris suauitate ad se invitat, atq;  
 dilaniat, hoc est, in exitium precipites agit, & brevem oblecta-  
 tionem perpetuis miseriis, & cruciatibus compensat. Quæ cum  
 ita sint, Adolescentes optimi, etiam atq; etiam providete, ut fa-  
 das voluptates non modo ne consecemini: sed ultrò quoq; aut  
 ab impuris & improbis sodalibus, oblatas prudenter declinetis  
 & avertatis. Illudq; idcirco perpetuò animis vestris infixum  
 habete: Allicit ut perimat, & turpi, breviq; voluptati, decus  
 virtutis sempiternum anteponite: conscientiam bonam cum bo-  
 na fama conjungite: atq; ad cò, quantum fieri potest, cavete, ne  
 turpium voluptatum vinculis constricti eò incidatis, unde aut  
 nunquam, aut non absq; summa difficultate evadere possitis.  
 Quin potius imitamini Demosthenem, à quo cum Laïs iniquum  
 pretium postulasset, & Ἰλαμαίτος ἐστὶ, inquit, μεταμέλειαι, id  
 est, tanti non emopœnitere. Cavete contra exemplum Lysi-  
 machi, qui cum in Thracia, siti coactus deditionem fecisset, hau-  
 stâ aquâ: ob quantillam, inquit, voluptatem, quantum decus a-  
 misimus, quantam cladem accepimus!



# ORATIO QVARTAE

CLASSIS, RECITATA

GEORGIO CARLICK DE  
Negetitz, Bohemo.



**I**NTER reliquas virtutes, qua hominibus plurimum & commodi, & ornamenti afferunt, Auditores Ornatisissimi; non postremum locum obtinet ea modestiae pars, quae Graecis ταπεινοφροσύνη, latinis humilitas appellatur. Haec enim praecleara est, atq; laudabilis animi affectio, seu virtus, qua, qui praeclatus est, is suo se modulo metitur, atq; nec opinione, nec dictis, nec factis sibi plus tribuit, quam aequitas postulet, ratio praecipiat, conscientia proponat: Ceteros vero sive doctrina, sive honore, aut dignitate aliquâ praecellentes, suspicit ac reveretur. Et si autem Humilitas omni aetate convenit: tamen imprimis

Ff 2                      ado-

adoleſcentiam decet, atq; commendat. Pleriq; enim adoleſcentes, ob ſanguinis calorem, qui audaces facit, & propter imperitiam, temeritatemq; affectuum, ſibi omnium ſapientiſſimi videntur; atq; ut ait Ariſtoteles, ne ſumma quidem ac difficilima quæq; deſperandi ſibi cenſent: qui morbus etiam bonis ingenis familiaris eſſe ſolet. Quamobrem, adoleſcentes ſtudioſi, ſic nobis planè perſuadeamus, nullam eſſe virtutem, quæ majorem laudem, fructumq; uberioſorem aſſerat, quàm Humilitatem. Hæc enim cupiditates noſtras coërcet ac comprimit, eaſq; rationi obediens facit: hæc animos à vitiis, quæ ex arrogantia, tanquam à fonte proſeunt, abducit: hæc amorem, & benevolentiam tum à Deo, tum ab hominibus conciliat, nobisq; ad omnem laudem, ac felicitatem aditum præmunit ac patefacit. Contrà vero nihil intolerabilius, nihil Deo & hominibus odioſius, nihil bonis ingenis nocentiùs, ac turpius eſt, quàm Arrogantia. Nam qui arroganter de ſe ſentit, ac loquitur, ſuoq; unius judicio fretus, ceteros deſpicit, ac pro nihilo putat: iſ in graviffimum divini numinis, & bonorum virorum odium, offeſſionemq; incurrit, & niſi maturè reſipiſcat, meritas pœnas ſuperbiæ divinitus conſtitutas, tandem ſubire, ac perferre cogitur. Deinde falſa perſuaſio, & inanis arrogantia, omnem induſtriam infringit, ac labefactat. Nam qui præmaturam doctrinam, & ſapientiam, opinionis errore ſibi fingit: iſ plerunq; omnem curam, & diligentiam remittit, atq; vel in primo ſtudioſorum ingreſſu tanquam in ſalebra hæret, vel certè in medio curſu deſicit, nec ad veram, ſolidamq; eruditionis & virtutis laudem unquam facile progreditur. E contrario autem qui humiliter, ac demiffè de ſe ſentit, atq; vel nihil, vel parum ſe ſcire arbitratur, iſ quotidie magis ad ſcientiæ cupiditatem exardeſcit, & præceptorum, aliorumq; bonorum virorum ope & opera adjuſtus ad altiora paulatim emergit. Atq; id ipſum Nomifmatis quoq; noſtri effigies proponit, atq; demonſtrat, in qua a-


qua è

qua è fistularum latebris in altum erumpens cernitur, addito hoc  
Emblemate:

Fortior è latebris emergit ad æthera virtus.

Quemadmodum enim aqua, ex longo intervallo, per la-  
tentes fistulas dimanans, cum primum nata est exitum, magno  
cum impetu exilit, atq; ad varios hominum usus longè lateq;  
diffunditur: Ita adolescens, qui virtuti doctrinaq; deditus sub-  
missè, humiliterq; diu vixit, tandem maturitatem adeptus, è  
tenebris in lucem evocatur, atq; ad munera publica admini-  
strandum, obcundumq; magna cum laude adhibetur. Quæ cum  
ita habeant, Adolescentes suavissimi, omni studio in eam curam,  
cogitationemq; incumbere debemus, ut, si inani doctrinæ opini-  
one tentemur, ea animum nostrum ne invadat, & occupet: aut  
si jam invaserit, ut quamprimum inde ejiciatur. Nam ut va-  
sa liquores non admittunt, antequam aër ex ijs emigret: sic  
quoq; nec animus noster salutaribus doctrinis imbui potest, nisi  
vana persuasio prius expurgetur, ac dimoveatur. Quapropter  
cum morbus tam pestilens, commodius depelli non possit, quàm  
infractiōne quadam animi, ac demissione: communem profectò  
sensum amisse videbimur, si non humilitatem omni studio co-  
lendam: arrogantiam contrà veluti pestem fugiendam, atq; de-  
vitandam esse statuamus.

D I X I.



Ff 3

PAN-

XVIII.

PANEGYRIS ANNI

1594.

SUB RECTORATU

D. M. GEORGII SIGELII,


Pastoris Ecclesie Altor-  
phiana.

Oratio prima classis, recitata

à

CHRISTOPHORO SCHLAVDERSPACH

NORIBERG.



**Q**uoniam officium, ac munus quod mihi  
nunc assignatum est, Auditores praestantissimi & huma-  
nissimi, satis commode, satisq; graviter, atq; ex animi mei sen-  
tentia ac voluntate sustinere me posse diffidam: Quippe com-  
modi-

moditati ingenium, gravitati aetas, voluntati imperitia, reiq; proposita difficultas, itemq; metus, quem partim natura, partim amplissimus hic confessus mihi adfert, & auget, impedimento sunt: animo tamen non deficiam, aut debilitabor: nec quod certatione & consilio mihi impositum est, id inconsulta temeritate recusabo ac deprecabor. Nemo enim, ut opinor, tam iniquus suscepti muneris mei estimator erit, qui si quantum possum, prestitero, quod quaedam non possum, idcirco me reprehendum existimet. Quin sic mihi persuadco, me in vestra humanitate, haud modiocrem oneris mei levationem inventurum esse: quam meam de vobis spem & expectationem ut exigui temporis attentione sublevetis, bonaq; cum venia, me meosq; condiscipulos audiat, majorem in modum vos oro, & obtestor. In congiario seu premio, Auditores, quo Amplissimi Domini Scholarchæ me ceterosq; primi ordinis adolescentes jam donarunt, atq; decorarunt, viri cujusdam in sella confidentis, ac duorum susurrorum ad aures ejus assistentium; itemq; pueri, flexus genibus nitentis, manusq; supplices sursum tendentis, simul lacrum conspicitur: idq; totum ad Apellis pictoris nobilissimi, picturam expressum & conformatum est. Hic enim calumniam depicturus, primò virum quendam praelongis auribus, & duas scæminas, Ignorantiã videlicet, ac Suspicionem, ad latera illius adstantes figurabat. Deinde Calumniã egregiè quidem splendideq; comitã: sed vultu gestuq; corporis terribilẽ, & truculentã, quippe, qua manu sinistra facẽ ardentẽ vibrabat, dextra verò adolescentẽ capillis prehensum, Deiq; immortalis fidẽ obtestantẽ secũraptabat. Eã anteibat vir quidã pallidus, & macilentus: sed acriter attentosq; oculorũ sensu præditus, qui Lior dicebatur. Aderrant præterea in comitatu, aliæ quaedam muliercule, nimirum, Insidie, Dolus, Fraus, Proditio, quarum hortatu domina, ad quidvis audendum incitabatur. Ad

extre-



extremum pœnitentia, virgo, pulla veste induta, habituq; planè lugubri & capite reflexo, veritatem è longinquo venientem cum lachrymis ac pudore excipiebat. Ecce tibi veram expressamq; calumnia effigiem: ex qua facile perspicias, nullum hominum genus, ut detestabilius, ac perniciosius, ita nec frequentius, aut acceptius esse, quàm Sycophantas & calumniatores: & nihil esse tam sanctum, atq; sincerrum, quod calumniae telis non sit propositum. Ceterum ut hujus criminis turpitude penitus pernoscatur, opèr expretium est, quidnam illud sit, & unde existat; & quam latè pateat, breviter perquirere, & investigare. Calumnia quidem variis modis describitur. Nonio, est mendax, & malitiosa infamatio. Ciceroni, est nimis callida, & malitiosa juris interpretatio. Et Martiano Iuriconsulto autore, calumniari dicitur, qui falsum crimen intendit. A Luciano calumnia definitur accusatio, quæ reo absente, & ignorante, facta, alteraq; tantùm parte audita, contradicente nemine, creditur. Verùm vox δὲ αὐτῶν λατῆρῶν latiùs patere videtur, quàm ut harum descriptionum angustiis comprehendatur. Nam in genere significat criminari, seu verè, seu falsò, seu palàm, seu clanculum maledicere, obtrectare, in odium atq; invidiam adducere. Itaq; rectè Calumniator (ut puto) non solum appellabitur is, qui alterum falsò accusat, aut leges malitiosa interpretatione ad privatam commodum, & adversarij incommodum detorquet: sed etiam qui quacunq; alterius scripta, dicta, & facta, de industria pervertit, atq; in deteriore partem interpretatur: quiq; maledictis tam absentes, quàm presentes, nocendi causa figit & vexat. Sed undenam tam effrenata calumniandi libido? Qui hujus turpitudinis ortum è sacris literis repetunt, ejus autorem statuunt principem illum omnium scelerum architectum Diabolum, qui omnem veritatis, justicieq; amorem, ac studium in hominum animis opprimit, & extinguit: atq; nefarias mentiendi calumniandiq; cupiditates excitat & in-

& inflammat. Verùm qui propiores indagant caussas, Calumniam  $\Phi\lambda\upsilon\tau\iota\alpha\varsigma$  & invidia filiam esse ajunt.

Quae duo vitia longè turpissima sunt, maximisq; incommodis omnem vitam rationem perturbant. Etenim insanus amor sui, & quae ex alicna, quam tibi potius censeas deberi, felicitate percipitur aegritudo, animum hominis non solum teterrimis tenebris circumfundunt, ut neq; ad verum videndum, neq; ad rectè agendum, vires efficaces habere possit: sed etiam eum ad aliorum hominum perniciem armant, & instigant. Nam qui aliis antecellere cupit, sibiq; plus, quàm par sit arrogat, is cæteros non modo contemnit & pro nihilo putat: verùm etiam de existimatione eorum praesertim qui aliqua re vulgo praestant, detrahere, & vero virtutem, ac felicitatem ipsorum opprimere, aut certè imminuere & obscurare conatur: usq; adeò, ut neque familiaritas, neq; propinquitas, nec ulla deniq; conjunctio à tam immani ac detestabili scelere eum avocare possit. Hinc odia, inimicitia, insidia, omnisq; generis scelera, quaq; horum comites sunt, infinita calamitates. Quod si igitur procreatrices istae, tot mala rebus humanis important, quid de earum sobole Calumnia, quae suam nativam labem multiplici improbitatis accessione cumulat, sperare liceat? Nam reliquae duae pestes non infinite feruntur, nec quosvis sine discrimine invadunt: & deniq; si non alio remedio, saltem fuga declinari, & evitari possunt: At Calumnia nullis regionibus, ac finibus sese continet; sed in omnes terrarum oras, virus acerbissimae suae longè lateq; diffundit. Maledictum enim simul atq; jaectum est, instar sagittae evolat, & absentem, in quem mittitur, antè vulnerat atque occidit, quàm sentiatur: neq; ulla medicina morsibus ejus praecavendus, & avertendis inveniri potest. Itaq; Medius Alexandri Magni Parasitus, sectatores suos monebat, ut audacter quemvis morderent, quod, tamen si vulnus consanasset,

vulneris tamen vestigium cicatrix esset remansura. Quod si  
hec immanis bellua inter privatos duntaxat, & plebeios homi-  
nes politioris humanitatis literarumq; rudes versarentur, mi-  
nus fortasse mirandum foret. At cam in Politias, & Scholas  
& Ecclesias irrepisse suaq; tabifica luc homines etiam eruditos,  
& publica avaritate praeditos inficere, id verò maximoperè &  
admirandum & delendum est. Etenim (ut singulos ordines bre-  
viter, atq; ex toto perlustremus) an non in aulis principum  
Sycophantæ frequentissimi reperiantur, qui ut principibus sese  
insinuent, & opes atq; honores, quos sumentur appetunt, facilius  
consequantur, falsis criminationibus bonos viros in invidiam,  
& odium adducunt? In foro deinde, & judiciis, quanta sit Ca-  
lumniæ vis, quanta accusationum, & criminationum acerbitas,  
quàm crebrò iudex vel gratiâ delinitus, vel potentia fractus,  
vel pecuniâ adulteratus falsum decernat, quàm sæpè falsi fictiq;  
testes subornentur, nemo est, qui ignoret. Sed neq; Schola & A-  
cademie, in quibus mansuetiores Musa florere debebant, nefari-  
a ista turpitudine vacant. Quàm immoderata enim maledi-  
cendi libido, hac nostra tempestata animos quorundam velut  
morbus quidam persuaserit, argumento sunt virulenta eorum  
scripta & dicta, qui conviciis, & contumeliis sese mutuo lacef-  
sunt, & lacerant, & alter in alterum non tanquam in hominem  
literis deditum, sed velut in barbarum immanissimùm, ac te-  
terrimum hostem acerbissimè invehitur: quasi nulla opinionum  
contentio, & comparatio, nulla veritatis investigatio, absq; al-  
terius dedecore & ignominia fieri possit. Inter Theologos deniq;  
tantus ubiq; nunc furor exarsit, tanta odiorum acerbitas inter-  
cessit, ut alius alium, quem vel dogmate, vel ritu aliquo externo  
leviter dissidentem animadvertit, contumeliosissimè stylo, &  
voce persequatur: eūq; nō conversum, sed eversū non emendatū,  
atq; etiā funditus de medio sublatum cupiat. Quæ immanitas,  
quàm calamitosa, ac funesta plerisq; Ecclesiis accidat, id mani-  
festi-

festius est, quam ut rationibus, aut exemplis demonstrari de-  
bebat.

Adq; adhuc, quàm longè lateq; Calumniæ dominatus pa-  
teat, breviter ostendimus. Reliquum jam est, ut qua ratione tam  
truculenta bestia coercenda, aut cavenda & evitanda videat-  
ur, discipiamus. Nulla, ut opinor, gens & natio unquam fuit,  
qua Calumniam leviter ferendam, ac non potius acriter vindic-  
andum, reprimendamq; existimarit. Itaq; tam varia, & diver-  
sæ sanarum genera in eam, à variis constituta reperuntur. Ca-  
lumniatores enim vel talionis pœna affectos, vel in insulas amā-  
datos, vel grandi pecunia multatos, vel in crucem sublato, vel  
boris casos, atq; per urbem circumductos, in exilium pulsos esse,  
veleis linguam exactam, vel caput abscissum fuisse, partim  
historici, tam sacri quam prophani, partim Iurisconsul-  
ti literis prodiderunt. Sed præter hanc severitatem,  
quam leges postulant, philosophia leniores quasdam Calumniæ  
effugiendæ, rationes commonstrat, è quibus nonnulla per quam  
breviter perstringenda videntur. Ac primum quidem magno-  
perè nobis elaborandum est, ut vitam honestam, omniq; turpi-  
tudinis expertem agamus, & verò cum bona conscientia, bonã  
quoq; famam conjungamus. Sic nimirum aut nulla, aut certè le-  
viora atq; hebetiora Calumniæ tela, in nos conjicientur, qua  
quidem animo benè conscio fortiter contemnenda, & pro nihilo  
ducenda sunt. Pusilli namq; est animi, ut inquit Isocrates, maledi-  
cos & nugatores & eos, qui illis aures præbent, curare præfer-  
tim si tibi sis nullius delicti conscius. Deinde moderandum est  
lingue, ne ad Calumnias & obtreccationes præceptus feratur.  
Nam qui ferociter maledictis in alios irruit, mutua convicia, &  
contumelias expectet, necesse est, ἄποφορὴν ἔπιποθεῖ αἰῶνος τοῖοιοῦ καὶ  
ἐπαυσιόχου, ut Homerus ait.

Sic benè vis dici caveas maledicere; qualis

Clamor adit sylvas, talis & inde redit.



In primis verò cavendum, ne absentibus detrahendi causa maledicè, contumeliosèq; dicamus. Nam qui adsunt, & audiunt, non solum pejus de nobis existimant, sed plerumq; etiã quæ audiverunt, spargunt, atq; disseminant, aut ad illos ipsos, quibus maledixeris, deferunt, & vel σοφιστικῶς ea mutilant ac diminuunt, aut συνοφρυτικῶς exaggerant atq; amplificant. Quibus rationibus non solum in summum odium, sed etiam non raro in extremum honoris, ac salutis discrimen adducimur. Quamobrem de absentibus aut benè loquamur, aut si aliquorum vitio id non liceat, Demosthenicum illud usurpemus: ἔπαινεῖν μὲν ἔδυναμαι, φέρεται δ' ἔβλομαι, Laudare non possum, vituperare nolo. Ad extremum summo studio providendum nobis est, ne criminationibus, & calumniis temerè fidem adhibeamus. Nam istiusmodi credulitas, non solum in vitio est, ac perquam affinis stultitiæ, hominum vanitatem, fraudes, & insidias, non attendentis, verùm etiam sapenumero perniciem & exitium affert: id quod plurimis exemplis, si tempus ferret, probari possit. Itaq; in audiendis criminationibus primò etiam atq; etiam considerandum est, quis dicat? num vir bonus, prudens, amicus, atq; id genus alia. Deinde quid dicat, utrum id cum honestate, rectaq; ratione consentiat. Tum, cur dicat, utrum suum, suorumq; commodum, an aliorum incommodum spectet. Sed longiorem rei propositæ explanationem temporis brevitæ non admittit. Cum igitur & calumniari, & calumniis aures prabere fidemq; adungere, æquè vitiosum atq; perniciosum sit: danda nobis est opera, ut utrumq; pariter fugiamus, ac devitemus, atq; adeò non solum linguam refrenemus, ac contineamus, sed etiam animos nostros prudentia, atq; innocentia præsidio, ita muniamus, ut nullum calumnia virus aures, mentesq; nostras occupare, atq; pervertere possit. Ob signabo hanc orationem memorabili sententia Herodoti, quam & Basilius Magnus usurpavit in epistolis. Detractio (inquit apud Herodotum in




*Polymnia (Artabanus) res est deterrima: in qua duo sunt, qui injuriam faciunt: unus cui injuria fit. Qui enim calumniatur, in eo est injurius quòd non accusat presentem: Qui detrahenti credit, is eo est injurius, quòd prius credit, quàm habeat rem compertam: Et cui detrahitur absenti, huic ob id fit injuria, quòd ab altero, ut malus infimulatur, ab altero talis esse putatur.*

D I X I.

ORATIO SECUNDAE  
CLASSIS, RECITATA.

à

CHRISTOPHORO FVRERO  
NORIBERGO.



**Q**uanquam natura brutis animantibus  
rationem, & crationem denegasse videatur, eaq; idcirco

ἄλογα dicantur: tamen simulachra quædam rationes, memoria ac provide vias inesse, nemo, ut opinor, facile negaverit. Quis enim ignoret, quanta solertia, & quam multiplex virtutum ac virtutum imago, non solum grandioribus bestiis, ut Elephantis, Leonibus, Equis, Canibus atq; id genus aliis, verum etiam parvis animantibus, ut apibus, araneis, bombycibus, ac similibus insit? Itaq; natura genius Aristoteles lib. 8. de historia animalium: Sunt in plerisque (inquit) animalibus vestigia morum, animi humani inest humanitas, immanitas: Clementia, acerbitas: fortitudo, ignavia: metus, fidentia: ira, malitia: atq; etiam prudentia imago inest in multis. Inter cætera verò, in signe virtutis vestigium, in Aquila, nostro brabeo impressa, cernitur, de qua Crates Pergamenus, & Stesichorus Poëta hoc exemplum memoria literisque prodiderunt. Cum aliquando complures messoris sibi, ut fit, laborarent: quendam è suo grege aqua haurienda causa ablegarunt: qui cum ad fontem pervenisset, fortuito incidit in aquilam, cum immani serpente acerrimè colluctantem cumq; animadverteret Aquilam arctissimè circumplicatam de vita periclitari, intertrepidè accurrit, & falce messoria serpentem dissecuit, alitemq; ab interitu vindicavit. Tum è fonte vicino, aquam hausit, atq; ad suos reversus, potum singulis ministravit: cumq; jam & ipse bibiturus, urceolum ori admo-veret: ecce improviso advolavit Aquila, eiq; poculum è manibus excussit. Messor ira incensus, dum avem velut ingratam, acceptiq; beneficij inmemorem execratur: interim socios suos extremo spiritus exangues concidere, & mori videt. Ex quo, ille & fontem veneno à serpente infectum, & sibi gratias ab Aquila cumulatissimè relatas esse, intelligit. Hoc egregio exemplo, Adolescentes studiosi, admonemur de pulcherrima virtute, qua jucunda accepti beneficij memoria, sum remunrandi, referendiq; studio conjuncta continetur: & recenti, vocabulo Gratiitudo, à veteribus Gratia, & Gratus animus, itemq; Pietas appellat-

pellatur. Hac autem tùm Deo Opt. Max. tùm hominibus, benè de hominum genere meritis debetur. Et si enim nullam partem divinæ in nos liberalitatis non modo referendâ, sed ne cogitandâ quidem gratiâ consequi possumus: tamen gratias ei persolvere dicimur, cum ipsius beneficia assiduè in mentem revocamus: bonitatem ejus gratis, animis, verbisq; prosequimur: & vitam, moresq; nostros ad ipsius voluntatem conformamus, & deniq; ex bonis divinitus in nos collatis quosdam veluti rivulos ad reliquos homines dimanare patimur. Cujusmodi exempla in sacris literis, præsertim in hymnis Davidis vatis sanctissimi, Regisq; potentissimi, ad imitandum posteris relicta inveniuntur. Quod verò ad gratiam hominibus persolvendam attinet: primus locus debetur parentibus: nam horum operâ in hanc lucem suscipimur, singulari cura enutrimur, multiplici labore educamur, omniq; beneficiorum genere ab ijs afficimur, & cumulamur, quos propterea præcipuo quodam studio colere & observare, omniq; pietate prosequi debemus. Quod si enim Ciconia solâ natura incitatione parentes suos senio confectos alit, & quoties migrandi postulat necessitas, eos humeris suis inter volandum sustinet: quod si Merops, quamprimum per ætatem volare potest parentibus suis in specu latentibus victum conquirat, ac subministrat: quanto magis homo, cujus animo, divina legis, atque rationis effigies impressa est, erga parentes suos gratum & pium sese præbere debet? Atq; talis quidem fuit Atheniensis filia, quæ patrem extrema ætate in carcerem conjectum fameq; necandum, uberibus suis diu lactavit & aluit. Et Roma (autore Plinio) puerpera quadam matrem suam vinculis constrictam, capitisq;

sup.

*supplicio afficiendam, lacte suo clam nutritum tantisper, dum cunctis carceris id rescisceret ac patefaceret. Quod pietatis exemplum Magistratui tantam movit admirationem, ut non modo matrem e carcere dimiserit, verum etiam utriusque perpetua alimenta curaverit, atque etiam locum illum Pietati consecrandum censuerit. Consimile est exemplum apud Lycurgum, de duobus adolescentibus Catanæis, qui ceteris bonis omnibus relicti, solum parentem suum per medias Aetnae flammæ humeris suis extulerunt. Sed plura exempla persequi infinitum foret. Alter deinde gratiarum locus debetur cujusque honestæ disciplina magistris, ac præceptoribus, qui salutaribus præceptis, ac monitis animos nostros informant, atque ad virtutem & sapientiam, omnemque officij munus instituunt & erudiunt, ac propterea animorum parentes à veteribus verè appellantur, qui tanto majorem gratiam ipsi persolvendam existimarunt, quanto animus corpori præstat & antecellit. Et Aristoteles, τῆς φιλοσοφίας, inquit, κοινὴν πατριὰν ἑστὴν ὅπως ἔκωλον γένοιτο. Itaque, ut animum gratum erga Platonem præceptorem testificaretur: aram ejus nomini exstruendam, statuamque consecrandam curavit, in qua inscriptum erat, Hunc esse illum, quem merito omnes probi commendare atque imitari debeant. Sed Græca audire præstat:*

*Βωμὸν ἀριστέλης ἰδρύσατο τήνδε πλάτωνος,  
 ἀνδρὸς ὃν εἶδ' αἰνῆσσι τοῖσι κακοῖσι θεῖμιν.*

*Hoc est:*

*Hæc ab Aristotele est diva ara locata Platoni,  
 Quem vel laude, nefas, si mala-lingua vehat.*

*Alexander Magnus tam gratus in Aristotelem præceptorem fuisse fertur, ut eum non minus, quam patrem Philippum amaverit, quod ab hoc vivendi, ab illo benè vivendi rationem accepisset. M. Tullius quàm gratus erga præceptorem A. Lici-nium fuerit, testatur oratio, quam pro ipso habuit. Trajanus Plutarchum in tanto honore habuit, ut eum Roma consulè cre-  
 arit.*

arit. Marci Antonini optimi Imperatoris tam eximia in preceptores fuit pietas, ut ipsorum imagines aureas in larario reconditas asservaret, eorumq; sepulchra hostiis, ac floribus exornaret. Gratianus Caesar Ausonium Gallum consulem fecit, aliaq; beneficia maxima in eum liberalissimè contulit. At quorsum hæc exempla? quorsum? ut adolescentes intelligant, nulla merita pluris aestimanda esse, quàm qua ad animi decus & honestatem pertinent: ac proinde, si non majorem, atq; æquè magnam preceptoribus atq; parentibus gratiam deberi. Cùm enim in rebus humanis nihil illustrius, nihil pulchrius & optabilius sapientiâ, & virtute, & quæ utriq; comes esse solet, felicitate: consequitur profectò, nemini mortalium nos arctioribus vinculis ad gratias persolvendas, obstringi, quàm ijs, qui ad tam præclara animi bona adipiscendû duces atq; autores nobis extiterunt. Iã sic præstâtius, nihil porrò in parentû numero habèdi quoq; sunt Magistratus, qui Rerumpublicarû, Scholarû atq; Ecclesiarû salutem, & dignitatem consilio, ope, & operâ tumentur, amplificanc, atq; conservant: Ideoq; grata mente, singulari observantia, summoq; studio colendi, & observandi sunt. Postremò grati animi officia ijs etiam præstanda sunt, qui aliis beneficiis, quibuscunq; nos affecerunt & ornarunt; elaborandumq; in primis est, ut munus sive donum acceptum pari & equali, aut etiam majori dono remuneremur. ὡτὼ τῶ μέτρω καὶ λῶϊον, ut est apud Hesiodum. Quod si enim (ut Cicero ait) agri fertiles multo plus afferunt, quàm acceperunt, quantò magis nos beneficio provocati, vicem rependere debemus? Et certè quo quisq; honestiori est animo, eo cumulatius gratiam referre conatur. Ideoq; veteres tres sinxerunt Gratias, quarum una oculos aversos, relique adversos habeant: atq; illa quidem de beneficio collato, hæverò de duplici gratiâ referenda nos commonefaciunt. At quaret quispiam: Quid? Illi quibus aut nullæ, aut pertenues

H h

sunt



sunt facultates, poterunt ne gratiam bene de se meritis referre? Non difficile id quidem fuerit, si cogites, non uniusmodi ac simplicem, sed variam atq; multiplicem beneficij referendi rationem esse: Neq; enim existimandum est, in remunerationibus singularia quadam summaq; munera requiri: quale Darius Rex Persarum Sylosoni, nempe pro veste olim donata, imperium Sami: Et Iulius Caesar pro aqua haustu fertiles agros: Et Ludovicus Imperator pro rapa aureos numinos, dedisse fertur. Sunt enim hæc  $\chi\epsilon\upsilon\tau\epsilon\alpha$   $\chi\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\sigma\upsilon\mu$ , ut est apud Homerum. Sed sic statuendum est, virtutis huius amplitudinem animo potius, ac voluntate æstimandam, ac definiendam esse, quàm externis illis donis atq; officiis, quæ gratitudinis quidem notæ atq; iudicia sunt, ipsa vero gratitudo non sunt. Itaq; nemo tam tenuis & afflictæ conditionis est, quin alterius benignitate provocatus gratum sese præbere possit. Nam vel sine re voluntas à bonis viris probatur, & grati memoriq; animi significatio, non minima remunerationis pars existimatur. Quàm necessaria verò hæc virtus sit, Athenienses olim optimè mihi perspexisse videntur, qui sanum Gratius in media urbe dedicarunt, ut nempe significarent, omnem civilis societatis rationem, Gratiarū quasi quodam numine contineri. Nullum enim firmitus concordia vinculum inter homines cogitari potest, quàm grata mentis remuneratio, & studiorum officiorumq; vicissitudo. Gratia namq; gratiam parit, & animos alios ex aliis necitat, & universos deniq; cives singulari quadam benevolentia, & charitate inter se devincit, & conglutinat. Ad hæc ipse Deus egregio premio proposito, ad huius virtutis studium nos allicit & inuocat. Nam in primo Legis capite, quod hominum convivium ac societatem spectat: Parentes (inquit) colito, ut diu vivas in terra, quam tibi Dominus Deus attribuet. Par enim esse videbatur, ut, qui gratus esset in eos, per quos vita communi frueretur, in ea ipsa vita diutissimè permaneres. Unde colligitur hominibus gratus

nunquam deesse premia, sed eos plerumq; eodem bonorum genere divinitus cumulari, quorum memoriam & gratè, & piè conservarunt. Quæ cum ita sint, Auditores, omni studio connitendum nobis est, ut inprimis Deum, perennem atq; æternum omnium bonorum fontem, deinde parentes ac præceptores: tum Reipublica, Scholarum, & Ecclesiarum curatores: & deniq; ceteros mortales benè de nobis meritos, libenter diligenterq; colamus: beneficia eorum agnoscamus, ac prædicemus: & quacunq; ad gratiam singulis si minus referendam, certè habendam agendamq; pertinent, studiose faciamus: ut non minus verè, quàm honorificè illud Virgilij de nobis prædicari possit:


Et bene apud memores veteris stat gratia facti.

D I X I.



Hb 2 ORA-

ORATIO TERTIAE  
 CLASSIS, RECITATA  
 à  
 NICOLA O TAVRELLO.



**P**Erspicuum est constatq̄, inter omnes, Au-  
 ditores humanissimi, omnem solidam, perfectamq̄, scienti-  
 am tribus potissimum rebus contineri: Naturâ, doctrinâ, &  
 exercitatione. Naturam appello ingenium, hoc est, tum vim  
 quandam à natura nobis insitam, atq̄, ingeneratam, quâ sumus  
 idonei ad quidvis cognoscendum, ac percipiendum: tum incre-  
 dibilem quandam sciendi cupiditatem, qua animus noster tan-  
 quam stimulo incitatus multa conatur, multa molitur, &, quod  
 mirandum est, singulari quadam solertia effingit, atq̄, perficit.  
 Hinc videas passim, à rudibus nullaq̄, arte excultis hominibus  
 in natura obscuritate, in vitâ & moribus, in numeris & sonis,  
 in Geometria caterisq̄, id genus rebus, ea saepenumero animad-  
 verti

verti atq; notari, quæ alius nemo, quantumvis è scholâ politus, facile attenderit atq; perspexerit. Aratus Solensis (de quo Cicero lib. 1. de Orat. meminist) Astrologia ignarus, numero poëtico versuq; Astrologiam elegantissime tractavit. Sic Nicander Colophonius ab agro remotissimus, solâ ingenij vi & industriâ excitatus, de rebus rusticis præclarissime scripsisse fertur. Sed ne longius abeamus, intueamur pueros (nam in his natura indicia melius deprehendi possunt) an non perpetuò quodam agendi discendi ve desiderio incitantur? nonne rebus novis detinentur? spectaculis gaudent? colloquiis delectantur? argumentis facile ducuntur, atq; cum aliis disputant? idq; duce natura absq; ulla arte faciunt. Veruntamen quamvis hæc ita sint, animus tamen compagibus corporis inclusus, atq; errorum tenebris circumfusus, quid in quaq; re verum sincerumq; sit, planè atq; omninò perspicere non potest: Idcirco opus fuit lumine, quo oculus mentis illustratus & longius prospiceret, & penitus omnia pervideret atq; cognosceret. Atq; ad hanc rem viri summi maximoq; ingenio præditi omne suum studium, operam, laborem atq; industriam contulerunt: partim necessitate compulsi, partim admiratione adducti, partim deniq; utilitate, gloriæq; studio excitati, atq; inflammati. Cùm igitur hi omnium rerum naturas incredibili mentis sagacitate, atq; solertia perverstigassent: quid in quoq; earum genere præstantissimum, quid cognitione dignissimum, quid usibus nostris commodissimum maximeq; necessarium videretur, diligenter annotarunt, & certa ratione præceptisq; ad usum vitæ accommodatis, conformarunt, posterisq; tradiderunt. Ejusmodi verò præceptiones, in unum collectas, methodoq; descriptas, appellarunt Artem, in qua si animus studiosè, attentèq; versetur, eam assiduâ exercitatione vel ad verum, vel ad adumbratum vitæ usum accommodet, fit tandem, ut certissimâ viâ, quò tendit perveniat: aut cer-

rè ab eo, quodcunq̄ sibi proposuerit, minus aberrer. Quod si igitur tria illa adjuvamenta ad uniuscuiusq̄ artis & scientia cognitionem requiruntur: quid faciendum erit ijs adolescentibus, quibus non discendi cupiditas, sed vel ingenij bonitas, vel institutionis commoditas deest? Id ipsum pulcherrimè docet Brabeum nostrum, in quo Sycomorus Aegyptia cernitur, eiq̄ ascriptum hoc Emblemata: Defectum industria supplet. Est vero Sycomorus (ut à Dioscoride ac Plinio describitur) arbor procera, patulis diffusa ramis, ficui persimilis, & foliis moro proxima: abundans lacte: quinq̄, quotannis ter quaterve fructum ferat, non ramis sed caudici adnascentem, eumq̄ copiosum, sed immaturum & insipidum, quiq̄ non maturefcit, nisi aut ungue aut ferro confricetur. Itaq̄ phyturgus ei appositus conspicitur, qui è pomis cultro incisus, lac eliciat, efficiatq̄, ut citius maturitatem assequantur. Quorsum igitur hujus arboris effigies spectat? ut intelligamus, industriam cum ceteris in rebus, tum maximè in studiis literarum plurimum valere: nec ullius ingenium esse tam tardum, & infelix, quod diligentia & laboris assiduitate, ex inscitia salebris eluctari, atq̄ ad aliquam doctrina laudem pervenire non possit. Quamquam enim natura, quod in quoq̄ rerum genere praestantissimum habetur, id maximis plerunq̄ difficultatibus circumsepsit: animo tamen forti, atq̄ industria nulla prorsus difficultas reformidanda, nullus labor, quantumvis durissimus fugiendus est. Nihil est enim tam obscurum tamq̄ difficile, quod curâ, attentione, studioq̄ inflammato pervestigari non queat. Hinc praeclare Philemon: Nihil est, inquit, quod invenire non possis, modo quarendi molestiam perferre ne recuses. ἀπαν δὲ τὸ ζητῆμενον ἐφευρίσκειται, inquit Alexius, ἀν μὴ προαποσῆς μήτε τὸν ὄνομα φύγῃς. Et Menander: τῆς ἐπιμελείας, inquit, δ' ἄλα πάντα γίνεται. Nec sanè mirum, si quidem Deus ipse laudibiles conatus atq̄ labores juvare & allevare, suæq̄ benignitatis aura ad optatum portum pervehere solcat.



leat. Id quod Ethnici quoque non ignorarunt. Sic enim Euripides: τῷ γὰρ πονεῖντι καὶ θεὸς συμπροβάσει. Deus laboranti subvenit, & opitulatur. Huc accedunt uberrimi, suavissimiq; industria fructus. Non solum enim quod durum fuit pati (autore Seneca) meminisse dulce est: omnisq; labor & molestia incredibili voluptate pensatur: verum etiā cognitio veritatis, virtutis usus, vita tranquillitas, opes, honores, gloria & auctoritas, premia laborum longè pulcherrima consequuntur. Quamobrem non continuo, si quis ingenio hebetiore praeclusus sit, spem suam infringi aut industriam languescere patiatur. Siquidem praclarum semper fuerit habitum, si prima assequi nequeas, in secundis tertiusve consistere, ut Cicero ait, Imo ne illud ipsum, quod optimum censetur, desperandum est. An non Cleantes & Xenocrates, cum ingenio admodum hebetes tardiq; essent, laboris assiduitate tandem perfecerunt, ut inter summos aetatis suae philosophos numerarentur? Quis nescit Demosthenem plus cura & industria, quam natura & ingenij ad dicendum attulisse? Cum enim ita balbus esset, ut primam artis suae litteram dicere non posset, & humerū indecorè moveret, & clamores populi ferre nō posset, & spiritu esset infirmior: an non omnia ista incommoda labore diligentiaq; superavit? Nam & balbutiē, calculis lingua subjectis emendavit, & motum corporis striōto gladio de lacunari supra humerum suspensō correxit: & ad fluctuum murmur ventorumq; turbines declamitans, obstrepentes populi clamores contemnere didicit: & spiritus infirmitatem, arduo ascensu ingrediendo, atque aliquid recitando levavit. Et deniq; tam fuit industrius, ut si quando antelucanā opificum industria victus esset, graviter molesteq; ferres. Itaq; tantam eloquentiae laudē consecutus est, ut non solū Demadē naturā ingenioq; superiorem, sed ceteros quoq; totius Graeciae Oratores longo intervallo post se reliquerit: suaq; exempla praebarit, verissimè dictam esse,

ἐν μελέτῃς πλείους ἢ φύσιν ἀγαθοί, id est, Plures studio atq; ex-  
 ercitatōne quàm naturâ bonos fieri. Hoc igitur praclarissi-  
 mum exemplum, Adolescentes optatissimi vobis ob oculos poni-  
 te & imitami, rectisq; studiis ad laudem & gloriam conten-  
 dite: atq; si minus ingenio potestis, diligentiam vobis subsidio  
 comparate: ac prorsus sic statuite, non dissimilem esse rationem  
 humani ingenij ac stirpium, qua diligenti culturâ & meliores  
 & pulchriores efficiantur. Nam ut Sycomorus verberibus  
 pulsata, & lacerata fructuosior evadit, ejusq; pomum cultro in-  
 cisum, crudoq; succo levatum maturescit atq; dulcescit: Sic in-  
 genium quantum vis hebes & obtusum, si laboribus acriter ex-  
 erceatur, tandem eruditionis ac virtutis maturitatem quandâ  
 consequitur, hominumq; generi fructus uberes, jucundos & sa-  
 lutares affert.

## D I X I.



ORA-

ORATIO QUARTAE  
 CLASSIS, RECITATA  
 2  
 DANIELE NOTTELIO  
 NORIBERG.



**I**N nostro congiario, Auditores humanissimi, impressa efficitur, cernuntur duae viperae, venereo complexu inter se vinctae, quarum altera foemella, libidine astuans caput maris, ori suo insertum, praeacidit, & amputat: tum ipsa quoque gravida facta, vicissim à catulis suis alvum maternam exedentibus interimitur. Qua de re, qui plenius & planius quid cognoscere cupit, cum Aristoteles, Theophrastus, & Plinius edocere poterunt. Nos quidem hoc in loco atque hac temporis brevitate, quorsum imago ista spectet, breviter duntaxat atque summam considerabimus. Inter reliqua autem vitia, quae no-

bis in viperis ob oculos constituuntur, omnium teterrimum & atrocissimum est, quod animi ingrati crimen, vulgo ingratitude, itemq; impietas appellatur. Nam qui tam nefario scelere se astringit, is beneficia, quibus affectus est, aut se accepisse negat, aut dissimulat, aut eorum magnitudinem non ponderat, aut memoriam ipsorum deponit, aut nullam pro ijs gratiam persolvit, aut deniq; maleficium pro beneficio reponit. Quò flagitio nil hominum societati perniciosius, ac funestius, nil Deo boniq; viris odiosius, nil turpius ac scelerius cogitari potest. Cum enim Iustitia precipuum humana consociationis vinculum sit ac firmamentum; nemo autem justus esse possit, nisi in Deum & homines benè de se meritos pius & gratus existat: consequitur, ut, quicumq; gratitudinis, & pietatis expertes sunt omne jus officiumq; pervertant, fidem violent, libertatem extinguant; amicitias dissolvant, atque adeò omnem generis humani communitatem oppugnent & labefactent. Atque id quidem manifestius est, quàm ut multis rationibus atq; exemplis à me demonstrari debeat. Nam qui tam tetra animi morbo laborat, is nec divinam erga se benignitatem agnoscit ac celebrat, nec patriam grata mente prosequitur; nec parentes ac preceptores colit ac observat, neq; deniq; cuiquam mortalium ullum amoris, aut studij, aut pietatis officium persolvit. Imò vero nonnulli in eam prolapsi sunt impietatem, ut prosperos actionum suarum successus, non divina bonitati, sed sue sapientia atq; industria acceptos referre, & Deum ab omni rerum humanarum administratione removere audeant. Deinde quàm multi cives patriam suam aut tyrannide oppresserint, aut opprimendam aliis prodiderint, alix calamitates ei importarint, istis est historia, quæ Coriolani, Catilinae, Syllæ, nefaria adversus eam consilia, machinationes & facinora commemorat. Consimili fato fuerunt multi & parentes, & preceptores, qui à liberis atq; discipulis suis, vel crudeliter casti, vel aliâ quavis ratione in-

ne injuriosè tractati sunt. Manasses Rex Isaiam matrem, avum maternū, lignea ferra dissecandum curavit. Aristobulus Rex & Pontifex matrem squalore, inediaq̄, necavit: fratres verò partim in vinculis tenuit, partim insidiis oppressit. Domitius Nero Imperator matrem Agrippinam, & Senecam præceptorem interfecit. Philologus præceptorem Marcum Tullium trucidandum hostibus prodidit. Ioannes Scotus Academiæ Parisiensis restitutor percelebris, graphycus puerorum styli campunctus perit. Sed plura exempla nec tempus admittit, nec res ipsa postulat: cum præsertim hac nostra ætate, maximè verò in scholis, & Academiis, magnus plerunq̄, sit eorum numerus, qui suis institutoribus, aut nullam, aut perexiguam, atque etiam inter dum pessimam gratiam rependunt. Multi namq̄, reperuntur, qui (quod Plato conquestus est) pullos equorum imitantur, qui lacte materno exsaturati, matrem calcibus feriunt, hoc est, præceptoribus benè meritis obtrebant, & eorum doctrinā, & institutionem vel temerè exagitant, vel improbè extenuant, vel tam frigidè laudant, ut vituperasse præstiterit. Nonnulli præmia, quæ Minervæ debebantur, vel non solvunt, vel ita dissipant, ut minorem partem Minervæ, majorem Veneri, cæterisq̄, voluptatum ministris tribuant. Nec deniq̄, desunt, qui ob salutarem disciplinae severitatem, præceptoribus insidias struant, & calamitates machinentur. Quod genus omnium est ingratisimum, ac sceleratisimum, veruntamen Haud impune, ut Emblemata nostrum monet. Nam primùm Deus ipse tam immane scelus meritis supplicis coercet, & ulciscitur: id quod infinitis exemplis, si tempus ferret, notum & testatum facerem. Deinde neminem mortalium esse puto, qui hominem ingratum non odio prosequatur. Quis enim diligit eum, qui patriam, parentes, præceptores violat? qui ingrati-



tudine sua ceteros ad benè merendum propensos, à libertate deterreret, fontesq; benignitatis ita claudit. & obstruit, ut nullus inde rivulus ad tenuiores dimanare possit. Adhac antiquitas ingratitude tantis sceleris loco posuit, ut nullam pœnam eï parem legibus sanciri posse, ideoq; divina ultioni id committendum existimarit. Solon interrogatus, cur nullum statuisset supplicium in eum, qui parentem necasset? respondit, se non putasse, quenquam fore, qui tam immane facinus admitteret. Verùm posterior etas singulare supplicium excogitavit, ut nimirum parricida unà cum cane, galla gallinaceo, viperâ & simiâ in culeum insueretur, atq; ita in mare seu flumen dejiceretur. Sed præter hanc ceterasq; ingratitude pœnas à diversis populis constitutas, est etiam infamia. Nam qui semel ingratus vulgò usurpatur, is nunquam, aut difficulter admodum, pietatis opinionem ac laudem recuperabit. Nulla enim turpitudinis labe & macula in hominis nomine & existimatione facilius inherescit ac difficilius eluitur, quàm qua ab animo ingrato suscipitur. Quapropter, Adolescentes optatissimi, cum Ingratitudo, tam odiosa, detestabilis, & execranda, tam perniciosa ac calamitosa, & tanto deniq; cum dedecore & ignominia conjuncta sit: omni studio providendum & elaborandum nobis est, ut non modo tam nefarium crimen, sed criminis quoq; suspicionem, vitare, & effugere queamus.

D I X I.

ORA-

XIX.

PANEGYRIS ANNI


1595.

SVB RECTORATUD. D. PETRI VVESENBECII*Juriconsulti.**Oratio prima classis, recitata*

à

DANIELE KRETSCHMAIR

Bohemo.



*S*Ocrates intempestivam sapientia persuasionem, in adolescente Alcibiade reprehensurus: ἡ τῆς διαβολῆς, inquit, ἀρχεται ὅτις οὐ βλέπει, ὅταν ἡ τῶν ὀμμάτων τῆς ἀκμῆς

12 3

λη

ἄλλοτε ἐπιχρησά, id est, Mentis oculus tunc clarè cernit, quando vigor corporalis aspectus decrescit. Nam cum adolescentia propter aetatis, & iudicij infirmitatem, rerumq; imperitiam, acie mentis suae hebeti adhuc, & imbecilla assequi non possit, quae vix demum in senectâ etiam ingeniosis & diligentibus patent: sapientissimus vir prudenter sanè juvenem illum à magnarum & arduarum rerum tractatione, quae expedire, si in discrimen ea venissent, & de quibus consilium ex tempore capere non posuisset, avocare voluit. Hujus ergo sententiae Secratice recordatione ipse quoq; à praesenti negotio abstinere, nisi & scholae nostrae consuetudinem vobis notam esse scirem, & M. D. Rectoris me huc impelleret observantia, atq; autoritas.

Proinde cum nulla ingenij fiducia, neq; proprio iudicio adductus in hunc locum prodierim, inq; hac spectatissima nobilissimorum & clarissimorum virorum corona aliquid mihi preferendum sit: veniam me à vestra benevolentia & humanitate, in qua omnia mihi constituta esse existimo, impetraturum, nec ullam mihi importunitatis, seu arrogantiae notam pertimescendam, confido. Dicam igitur de re proposita, sed dicam quam fieri poterit brevissimè, ut est in formula orationum veteri, quae sciam poterog. In Brabeo nostro, quod jam mihi Amplissimum Scholarcharum munere datum est, expressa cernitur effigies suis roseta irrupentis, eaq; sedè devastantis, cum hoc Emblemate: Poena comes Reletis.

Tradunt autem rerum naturalium scriptores, suillum genus in Arabia non posse vivere: eò, quòd ea regio plena sit odoramentorum, quae porcis venena sunt, utpote qui fatidis solummodo, & sordidis rebus delectentur. Similiter scribunt, suem, Amara cum ferre non posse. Est autem Amara herbae genus, Sicularum lingua, à Cynara Cyprî regis ejusdem nominis filio dictum, quem in hanc herbam conversum fuisse poe-

tarum fabulis proditum est. Dicitur eadem Græcis ἀμάρυρον, πικρὰ τὸ σάινον ψυχρὴν, reficit enim & recreat spiritus mirificè suavitate temperati odoris. Vnde & Plinius inter unguenta nobilia, Amaraci quoque facit mentionem: & refert, quendam in Cō insula fuisse laudatissimum: ejus varia ostendit remedia, atque ex eo oleum quoque fieri, quod Amaracinum vocetur. Cum igitur hujusmodi sit Amaracinum; contra sue nihil immundius, nihil sordium amantius; nihil profecto minus rostro suillo convenit, quam delicia unguentaria, quippe cui id demum suave olet, quod canum olet. Et testatur Lucretius, inter unguenta & odores, peculiari quadam natura proprietate, Amaracinum maximum inimicum esse suillo generi. Sic enim poeta ille:

Denique Amaracinum fugitat Sus, & timet omne  
Unguentum. Nam fetigeris subus acre venenum est.

Hæc igitur antipathia illa est Suis cum rosæ & Amaraco, hoc disidium, cujus quidem consideratio duplex institui potest: una Theologica; Philosophica altera. Ac ut de priorè primo loco dicamus: Bona fragrantia, inquit Apostolus, sumus Deo, in ijs qui salvi fiunt, & in ijs qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem; illis verò odor vita ad vitam. Quo quidem maximam illam animorum diversitatem exprimit Apostolus, qua videmus Evangelium à Mundo variè recipi & judicari. Bonus Christi odor sunt Apostoli, atque omnes Evangelij ministri, & sancti viri, suave olentes Deo, dum gloriam ejus provehunt in omni loco, predicatione verbi, bonis ac sanctis moribus, ac exemplis, ardenti ad Deum precatone pro Regni Dei successu, & patientia in adversis rebus, dum quotidie pro Christo immolantur His omnibus pijs attrahuntur ceu unguentorum odore, ut cum sponsa Christum alacriter ad vitam immortalẽ sequamur.

sequantur, ubi sempiternum ejus amplexibus fruuntur. Contra increduli, & hostes Evangelij, velut venenata quadam bestia & sues, bonos odores Ecclesie minimè ferentes, Christi odore enecantur, dum universum ejus regnum tanquam rosetum, & viridarium amœnissimum, cum omnibus hujus colonis, & hortulanis hostiliter oppugnant, illudq; funditus eversum esse cupiunt. Inter Iudeos enim quamprimum Christus se mundo manifestare cepit, exorti sunt, qui illi contradicerent: & quidem non vulgares homines, sed Scribae, sed Sacerdotes, sed Pharisei, penes quos tùm summa erat in sacris autoritas, & qui summam doctrinæ, & sanitatis existimationem sustinebant. Quod ut inter Iudeos fieri cepit, sic idem postea inter gentes factitatum est, cùm inter has Christus manifestaretur. Tunc enim adversus Apostolos & horum successores, philosophi insurrexerunt, qui doctrinam de Christo suis strophis in contemptum, & dubium vocare conati sunt. Iunxerunt cum his operam suam Regum, & imperatorum ministri, qui falsa insuper crimina Christianis hominibus intenterunt: & nullum tam nefarium, tamq; inauditum scelus est, quod non illis fuerit objectum. Et ne exteri soli hunc amœnissimum hortum vastare viderentur: inter ipsos Christianos heretici exorti sunt, qui portentosis simul atq; impiis commentis, & plus quàm Diabolicâ obtrectandi libidine linguas suas adversus Christum, & puriorem veritatis doctrinam solverunt. Et, quod olim factum est, hoc ipsum hodiè etiam fit passim. Pergunt enim Christo contradicere Iudæi, & ne nunc quidem ejus manum agnoscunt, cujus justo & gravi judicio sese premi, & in extremas miseras detrusos esse, sentiunt. Miscent cum his suas quoq; blasphemias Mahometani, qui longè maximam orbis terrarum partem occuparunt. Latrant quotidie adversus Dei Filium Servetianæ canes, & quotquot hodiè vel Arii, vel Marcionis, vel Eutychis, vel aliorum hæreses postliminio revocant. Imo qui Ecclesie gubernacula sibi



vendicant, Pontifices & Episcopi se cum rebus suis non posse salvos esse arbitrantur, nisi Christo per Evangelium nobiscum loquenti contradicant, & illum è folio suo dejiciant. Sub horum ductorum signis in lacunis suis grūniunt adversus eundem sues verè Bœotica monachi, boant sacrificuli, crocitant Purgatoriani corvi, noctua sepulchrales ululant; serpentum & anguim instar sibilant moniales & Begutta: rudunt deniq; asini & muli Romanenses: Qui simul omnes undiq; tam nobilium, quàm plebeiorum turmas atq; cohortes excitant, ut crabronum & muscarum instar vel oppugnent veros Christi præcones: vel imbelli clamoso tantum stridore illis obstrepant. Hi sunt ergo spumantes illi apri Christi rosetum & viridarium vastantes: Hi cornigeri tauri, Christi Ecclesiam incurstantes: quorum impetus & furor, nisi divinitus coërceretur jam diu viridarium illud amœnissimum miserè deformatum in situ & squalore jaceret. Sed Pœna comes sceletis est, ut Emblemata nostrum habet: nec impunè ferunt, qui tanta impietate adversus Christum & sanctos ejus efferuntur. Constat enim & historiarum monumentis, quàm potenter Deus superbiam illorum hostium semper ulius sit, quando non graves modò, verum & ignominiosas pœnas superbis inflixit, ut illorum insolentes spiritus magis coërceret. Ita Sennacherib in templo dei sui à tribus propriis filiis miserè occiditur. Ita Antiochus, Herodes magnus, Sylla, & tandem Maximinus, enascentibus ex carne vermiculis, qui viventes gravi simul & fædo dolore depascentes, afflixerunt, fædè sunt consumti. Venio ad alteram, in qua philosophicam Emblematis nostri explicationem afferre conabor.

Acæta Rex Colchorum, ad quem Iason cum sociis suis argonauticâ expeditione institutâ, olim pervenit, hortum seu viridarium quoddam habuisse fingitur, omnis generis floribus, herbis, arboribus, fragrantissimum, & aspectu odoratūq; jucundissimum.

simum. Et addunt sapientes, tres fontes per viridarium illud deductos fuisse, quorum primus lacte, medius vino, extremus oleo redundavit.

Quid hoc hortus, & fontibus in eo scaturientibus, aliud, quam Academiam adumbrare voluerunt veteres sapientes, in quam omnium liberalium artium redundarint flumina? Traduntur in scholis primum Logicarum artium, quae lacteo illo fonte representantur, primordia, quibus teneri discipulorum animi ceu lacte imbuuntur & nutriuntur. Adduntur deinde sublimiores Ethicorum, Physicorum, & Mathematicorum disciplinae, quibus ceu vino studiosorum adolescentum ingenia magis roborantur, iudicia acuantur, memoria augentur, & ad summam illas facultates preparantur. Tandem tres illae supremae facultates, sacrosanctae Theologia, sapientissima Iurisprudentia, & saluberrima Medicina proponuntur, quibus, qui ceu oleo inuncti sunt, ad omnia munera totius vitae humanae obeunda, promptiores, paratiores, & aptiores evadunt.

Scribunt historici, Tempe, montes Thessaliae esse amoenissimos, perpetui veris temperie gratissimos, arboribus refertos, volucrum concentibus argutos, fontibus irriguos. At quanto praestantiora sunt haec nostra Tempe, in quibus & jucunde, & utiliter, & sine flagitiis, & maxima cum laude vivi potest? Vbi & omnis generis disciplina à doctissimis viris traduntur, & usus earum exercitatione disputationum & declamationum demonstratur, & cum theoria, praxis conjungitur? Adde quòd doctorum virorum consuetudo in magna parte felicitatis numeranda sit. Horum enim colloquutionibus, & ingenia adolescentum acuantur, mores corriguntur, & doctrina per ludum & jocum mirum in modum augetur. O felices eos, quibus in hoc amoenissimo viridario datum est, inter studiosos & eruditos homines, eosdemque humanos & disertos, perpetuò versari, de qua ratione studiorum subinde cum illis conferre! Ut taceam, quarta de-

ea delectatio accedat varia lectionis, & scriptiois. Magna certe res est, & plus quam regia dignitatis, cum sapientissimis & maximis viris, qui ab orbe condito extiterunt, familiariter, quoties libeat, posse colloqui, eorum consilia videre, praeceptis obtemperare. Hi sunt flores illi odoratissimi, quos ex viridario nostro Academico decerpere possumus.

Sed ô

— Pauci quos æquus amavit

Iupiter, atque ardens evexit ad æliera virtus.

Dius geniti, cupidè verumque bonumque tutentur:

Cætera turba lucrum petit: & te fæda voluptas,

Ambitione tumens, sequitur per fasque nefasque.

Habet enim hoc nostrum viridarium, suos quoque porcos, flores & rosas fædè devastantes. Mittuntur in Academiam adolescentes, ut animi ipsorum rudes, bonis artibus informantur & expoliantur: ad quam rem natura suppeditat vires ingenij & corporis, mentis ac sensuum integritatem: Parentes adjungunt victum cultumque corporis, libros comparant, præceptores præficiunt, tranquillum otium concedunt: Et, quibus hæc retineantur, sumtus necessarios impendunt. Quid fit? multos proh dolor videas degeneres animos, qui etsi hunc hortum non ingressi modo; verùm etiam aliquo usque feliciter in eo progressi sunt, quin etiam rosas quasdam deieperunt: quamprimum tamen harum spinis vel leviter sese confixos sentiunt, manus retrahunt, & discendi voluntatem unà cum spe per discendi statim abijciunt. Hinc fit, ut quia se in Academiis vivere sciunt, sibi que quod libeat, licere statim falso putant, remotis Magistris, τὴν ἑστῆσαν ἀμνημονεύσαντες, τὰ τῶν ἀρετῶν καὶ ἀπὸ τοῦ δὲ τοῦ καὶ, nonnulli etiã τὰ ἐπιπέτυον αὐτῶν ἀποσπασσάντες: symposia frequentent, choros ducant, deambulationes interpestrivas repetant, variisque ludorū & inaniū oblectationū genera exquirant, non cogitantes, quã

malam rem interim gerant, si peregre profusa pecunia, aut nullos aut inmaturos ex hoc horto fructus domum reportarint. Vnde postea ex singulis facultatibus singula dedecora tanquam abortum nasci videmus. Pro theologis enim post illatores quidam exurgunt, qui praeclaros sese Theologos putant, si memoriter conciones ab aliis conscriptas recitent, & laxa toga, & insolenti oratione atq; arrectis superciliis fucum rusticis faciant. Pro Jurisconsultis doctis, rabulas famelicos provenire videmus, qui pecuniae causa τὸν ἥτῳ λόγον κρείττω ποιῶσιν student, sordidum hominum genus, omni studio in eo elaborans, ut lites ex litibus serarat, reos non expediat, sed potius expilet, nunquam quietos esse sinat. Vnde paulatim honestissima professio, & reipublicae firmamentum, & pacis quasi nutricula, in Sycophanticā & Sophisticam conversa, sordidorum istorum porcorum vitio litium quoddam seminarium, & ars litigandi esse incipit. Pro Medicis deniq; agyrtae, & circumforanes passim oberrare cernimus, quales Venetiis, Gedani & Francofurti in nudinis videntur, qui theriacam & prius ignota semina sive pharmaca venum exponunt, quorum vires & mirificos in ejiciendis vermibus, aliisque morbis curandis effectus magna vocis contentione, & indefessa linguae volubilitate predicant, ut rei novitate attonitos, & hiantes simplicium rusticorum animos fallant, & eos pecuniis emungant. Aegyptij olim suemusque adeo spurcam beluam ducebant, ut si quis vel transiens contigisset, continuo properaret ad flumen, se pariter ac vestem abluturus. Quanto magis hi nostri Margita, omni virtute, omni industria carentes, ut ἐπίστορον ἄχθος ἀγδῶσιν fugiendi, & omnium contemptui & odio relinquendi sunt? Nec id quidem immerito. Hac enim poena illa est vastati ab ijs pulcherrimi roseti, ut non solum aliis sint inuisi, sed etiam sibiipsis tandem vel maximè displiceant, donec ad extremum sine honore in glorij occumbentes, non aliter quam sues exitiali rosarum odore interitum sibi accelerent. Sed relictis

relictis illis porcis grandinosi, finem dicendi facio, vosq; commi-  
 titones optimi, Colophonis loco, sedulo moneo, & obtestor, ut cum  
 jam ex obscuro classicarum molestiarum vepreto in hanc clarissi-  
 mam lucem, & amœnissimum publicarum auscultationum hor-  
 tum translati simus, omni studio in id mecum incumbatis, ut  
 non tam vastatores, quàm cultores pulcherrimi hujus roseti, esse  
 videamur, nec venescis voluptatum illecebris in Circeos porcos  
 nos transformari patiamur: sed potius ex clarissimis nostris  
 præceptoribus ea audiamus, & discamus, per quæ animus virtu-  
 te, ingenium scientiâ, lingua eloquentiâ excolatur & adorne-  
 tur. Sic enim fiet, ut optimarum literarum præsidij muniti  
 jucunditate harum perfruamur, commodis gaudeamus, orna-  
 mentis afficiamur.

D I X I.




ORA-



ORATIO SECVNDAE  
CLASSIS, SECITATA

BALTHASARE PISTORIO.



**N**ihil unquam praclarum sine multo sudore  
& labore exitisse, pleni omnes sunt libri, plena sapien-  
tiam voces, plena exemplorum vetustas, Auditores optimi.  
Nam

— nulli sine Marte triumphum,  
Et nisi certanti nulla corona datur.

Scientiâ autem literarum quid praclarum? quid gravius?  
nam non modo omnibus bonis comparanda, sed etiam omnibus  
anteponenda. Hoc dignitas, hoc utilitas, hoc suavitatis tanquam  
debitum exigit. Quis enim quas urbes peperit? literarum  
dignitas. Quis dissipatos homines in vitam societatem convoca-  
vit? literarum dignitas. Quis eos primò domiciliis, deinde

conjugiis, tum mercurii permutatione, & sermonis communione junxit? literarum dignitas. Hac nos ab omni contagione vitiorum reprimat, & revocat. Hac dubitare nos cogit, utrum sit efficacius ad rectè vivendum, benè institui, aut feliciter nasci. Hac medicina est, quæ medetur animis, sollicitudines detrahit, timores pellit, luctus levat. Hac hominum memoriam apud posteros æterna donat recordatione: ut Tibullus canit:

Quem referent Muxa, vivet dum robora tellus,  
Dum cœlum stellas, dum vehit amnis aquas.

Quid in Philosophia est, quod cujusquam prædicatio vel transilire vel prætervehi debeat? quæ ars, quæ artis questio aut utilitate sterilis, aut vacua suavitate? In has nihil flammis, nihil senectuti, nihil furibus licet. Tanto itaq; majore cōsensu in venerationem horum omnes boni consurgere debent, quanto magis de his improbi silent. Quis ergo nulla bona studii optabiliora, nulla præstantiora neq; data sunt mortalium generi, neque dabuntur: nullum vestrum, quem non hac cogitatio subeat, esse puto: literarum scientiam non esse facilem, sed laboriosam, in qua multum operæ ponendum, sudandum, vigilandum.

Nec soli tamen industria humana ad consequendam literatæ prudentiæ laudem sufficit. Qui enim ad sua studia Deum non adhibet, sæpè falsa quadam rerum humanarum specie decipitur. Nam ut in aliis rebus gravioribus, minimè in fortuna situm, aut labore, cur res vel benè vel malè geramus (Deus enim, ut piè Isocrates ait, τὰ τῶν ἀνθρώπων ἀποδίδωμι: Quod & Mardonius apud Herodotum testatur, dicens: ὅτι δὲ γένεσθαι ἀπὸ θεῶν ἀπὸ τοῦ ἀποτοῦ. ΐα) Ita divini numinis afflatus, vel imprimis in a discendis literis exoptandus, sineq; hoc omne studium infeliciter succedat, nullumq; fert fructum. Et hinc non

tam à parentibus & præceptoribus, quàm ab ipsis discipulis tristis illa exclamatio auditur: O spes fallaces, ô cogitationes inanes, ô frustra suscepti labores! Rectè igitur prudenterq; Senatus Noricus D. Scholarchæ Ampliſſ. & Magn. Academia nostra Patroni, brabeio nostro, cui navis fluctuantis in æstibus marinis nota inſculpta eſt, Deſuper auxilium, inſcripſerunt. Sine hoc enim conſtare dignitas artibus, virtutibus autoritas, non poteſt: hoc, hoc eſt. quo favente omnia ſecunda fluunt. Quæ admodum enim navis, licet omnibus ornamentis & inſtrumētis, nautis etiam peritiſſimis exornata ſit: niſi curſum navigationis ad rationem tempeſtatum dirigat, portu facile viventorum excluditur, & naufragium facit: ita ſtudia noſtra, niſi deſuper Spiritus ſancti flatu regantur, non ſolum vana, & inania ſunt, ſed etiam multorum malorum cauſſa exiſtunt.

Quod ut plenè perfectèq; intelligi poſſit, rem paulo altiùs repetam. In navigatione non tam navis, & nautarum, quàm tempeſtatis ratio habenda eſt. Non ſolum enim varius uſus, ſed & ipſa maria diverſa, diverſas navium formas exigunt. Aliæ enim oneri ferendo idoneæ, onerariæ & frumentariæ dicuntur: ad equites, ad pedites deportandos aliæ ſunt factæ, hæ pontones, illæ hippagines appellantur. Remis vero quæ aguntur, ætuariæ nominantur. Aliæ ad præliandum militares inventæ ſunt, quibus explorandi cauſſa ſpeculatoriæ præmittuntur. Orariæ item & celoces ſuas habent formas, ut aliæ alias. Quarum omnium licet figura exquisitè ab artifice introducta ſit, tamen & reliquis inſtrumētis (ut ſunt fori, tra, anſtrantlia, corbis, malus, antenna, remi, clavus, anchora, a pluſtra, vela) carere minimè poſſunt. Præterea  $\pi\epsilon\sigma\sigma\acute{o}\tau\eta\mu$  caterosq; nautas, & remiges exactè ſcire oportet, quando ſolvendum: quando vela danda, deducenda, aut ſubstringenda: quando curſus obliquandus: quando remis incumbendum: procellas item & tempeſtates providere futuras: latentes ſcopulos evitare: marinaq;

monstra arte eludere oportet. Tandem naues optima & nau-  
ta peritissims, nisi tempestate secunda vela faciant: non solum  
prospectantur statim a portu sparsa navigia, sed tota navigatio  
infelix est. Deficientibus enim in totum ventis, nauis in me-  
dio cursu resistet; restantibus rejicietur; vehementius autem sa-  
vientibus, tanquam tabula, motu & agitatione iratorum flu-  
ctuum, tam diu errabit, donec scopulis allisa vel syrribus infixi  
hareat, rimas agat & naufragium faciat. Ita in hoc nostro  
scholastico pelago primo omnium sciendum, non quavis, sed ido-  
nea, & apta ingenia admittere studia, & quidem primam ata-  
tem tantum.

Quaquam enim nulla aetas ad discendum sera est, tamen  
& multo aptior tenella quam alia ad aliquid memoria insigen-  
dum, & ut Diogenes dixit, νεκρὸν ἰατρὲν καὶ γέροντα νεθε-  
τῆρ τωτὸν ἐστὶ. Vnde eleganter Iulianus: Presumptum est (in-  
quit) ea mancipia qua rudia sunt, simpliciora esse, & ad mini-  
steria aptiora & dociliora, & ad omne ministerium habilita: Tri-  
ta verò mancipia, & veterana difficile est reformare, & ad suos  
mores formare. Deinde imprimis necesse est, ut quisq; suum  
modulum spectet, ut Pythagoras monet: Χρὴ καθ' αὐτὸν αἰετὸν  
τὸς ὀργῶν μέτρον. Quod Propertius eleganter reddidit:

Turpe est, quod nequeas, capiti submittere pondus,  
Et pressum inflexo mox dare terga genu.

Quare ea tantum sequenda, ad qua natura & Deus nos i-  
doneos esse voluit: summaq; dementia est, aliquid invita, quod  
ajunt, Minerva suscipere & persequi. Constans praeterea a-  
nimus, & assiduus, ut etiam integer, totusq; requiritur. Etenim  
nusquam est, qui ubiq; est, inquit Seneca. Qui philosophia das  
operam, debet ei se totum committere. Vt enim in peregrinati-  
one vitam degentibus hoc evenire solet, ut multis hospitiiis u-  
santur, nullis amicitiiis: ita distrahit animum studiorum mul-

situdo. Tandem prima illa teneraq; atq; corporis licet fortunę bonis omnibus, tanquam navis saburra ita onerata sit, ut stabilior sit in cursu; legum tamen bonarum magnę opus habet, qui optatum ex alto portum demonstrat: preceptoribus deniq; fidelibus, qui adversam tempestatem, laboresq; maximos, qui in literas incumbentibus perferendi sunt, monstrant: qui ludorum, & compositionum fluctus frangere, qui in gavia ventos domitare, qui superbia obstantia freta transire, qui Cyclotios scopulos & Syrtes effugere doceant. Hęc cuncta multum ad studia faciunt; sed ea non perficiunt. Nisi enim Desuper auxilium veniat, & aura illa divinitus mentibus nostris illapsa ignavia tenebras pellat, ambitionis ventos sedet, totūq; studiorum cursum devio vectore turbatum recipiat, rursūq; dirigat, omnis parentum cura, omnis discipulorum labor, omnium docentium studium vanum & irritum est. Quis enim nostrum est, qui possit

— non quod ante pedes modò est  
Videre, sed etiam illa quę futura sunt.

Quare ut navigantes in longinquas terras magnis se laboribus frangunt, tempestate autem secunda tantum solvunt: Ita prudentiss. Senatus Noricus, quia videt studia nostra tanquam in mari immenso vehi, varioq; rerum eventu perpetuo fluctare, non solum septem ordinum navem, Academiam Altorfianam hanc septem liberalium artium remis instructam, è navalibus Noricis produxit: sociis navalibus defensoribusq; complevit: panem nauticum stipendiumq; militibus & remigibus prębuit: sed etiam omnes, & singulos tam remiges, quàm nautas gubernatoresq; presentem hoc Emblemate ad summam diligentiam & studium adhortari voluit, simulq; monere: laborandum quidem; Desuper tamen Auxilium & sperandum & exorandum esse. A solo enim Deo, ut & cetera bona, ita in primis veram salutaremq; eruditionem expectare debemus. Hic

enim



enim solus est, qui precipitantem vitiorum tempestatem refrenat, studia fluitantia recipit, & sicubi adhuc tenebrarum aliqua obversatur obscuritas, aut residuus undarum infernalium pulsus murmurat, necesse est tamen ad hujus nutum dilucescat & sileat. Tu igitur igitur generosa, nobilis, & ingenua juvenis, quae eandem mecum conscendisti navem, tu quisquis es,

— discere ergo quem te Deus esse

Insiit, & humana qua parte locatus es ire:

Noli succumbere ignavia; assuesce laboribus. nam ut navitas tempestatum, & Medicos juvat meminisse morborum: sic dulcis erit aliquando in studiis praeceptorum laborum recordatio. Moram itaque averte omnem,

Et propera nec te venturas differ in horas:

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.


In praeeritum enim subvenire ne Deus quidem vult. noli de via quam tibi Spiritus sanctus, verus studiorum nostrorum Mercurius monstrabit, declinare. Sola enim ea pergendum via, ut Plato in Critone ait, qua Deus nos ducit. Hac rectum tenere clavum studeto. Omnibus quidem eruditionem liceri concessum; diligentibus tantum emere; possidere vero Dei est largitio & donum. Desuper ergo auxilium.

D I X I.

LI 2 ORA-

ORATIO TERTIAE  
CLASSIS, RECITATA

SIGISMUNDO ORTELIO  
N O R I B E R G



**I**N brabeo nostro, Rector Magnifice, quod  
Ampliss. Scholarcharū munere, mihi ceterisq; tertij ordinis  
adolescentibus datum est, expressus extat Globus plenus latentis  
ignis, & fumum forās quacunq; licet, emittentis. Additum  
est hoc Emblemata: Qua licet erumpit. Quod et si varios atq; mul-  
tiplices explicatus habere videatur: nos tamē de animi pertur-  
bationibus in primis id accipiendum existimavimus. Ut enim  
ignis globo conclusus exastuat, & quacunq; parte potest, fumum  
& flammam emittit: Sic ira ceteraq; cupiditates, animo huma-  
no velut carcere quodam cohibita forās prorumpere, & menti  
caliginem offundere, omnemq; vitam temeritate sua perturbare  
conan-

83

conantur. Emblemate igitur nostro praclare admonemur, cupiditates animi effuse proventes refrenandas, atque rationis imperio diligenter coërcendas esse. Animus namq; humanus duabus veluti partibus distinguitur, quarum una mens sive ratio appellatur, cum mente divina & maneris similitudine, & cœlesti, ut ita dicam, agnatione conjuncta. Altera corpori alligata: in qua tum irarum ardor, tum cupiditas seu voluptatis appetitio dominatur. Atq; illius quidem est, & imperare & precipere, ut quilibet animi motus sive affectus sese intra regionem sibi à natura datam contineat, neq; cancellos lege circumdatos egrediatur. Hujus autem est, parere & obedire. & ea omnia quae ratio praeceperit, summa vi persequi. Quod si jam ambae partes legitimè consentiant (ut quidem ipsa natura ordine ac divina majestatis imperio fieri debet) summa hominis dignitas & admiranda honestatis pulchritudo, & incredibilis tum privata tum communis vitae commoditas & tranquillitas extabit atq; eminebit. Contrà verò simul atq; animi commotiones, quadam quasi conspiratione inter se inita, seditionem movebunt, & ipsam rationem undiq; admotis machinis oppugnare, atq; de omnistatu deturbare incipient: summa statim omnium rerum confusio & perturbatio consequatur, necesse est. Nam flagitiosa cupiditatis inhumanitas non solum animum cujusq; intestino bello lacerat & conficit: verum etiam excurret foras, ut vel infinitis injuriis generis humani societate violat, vel oculos hominum deformitate turpitudinis offendat, & odia maxima contra se concitet atq; inflammet. Hinc igitur turbulenta dissidia, hinc caedes, & insidiae, hinc hominum strages, Rerum publicarum everfiones, diraq; rerum humanarum exitia nascuntur. Nullum enim tantum bellorum est incendi-um, quod non vel ambitio, vel avaritia, vel libido, vel iracundia, cum magna hominum pernicie plerunq; excitare soleat. At

dixerit fortasse quispiã: Stoicos idcirco rectè docuisse, qui omnes affectus vitiosos è natura hominũ penitus euellèdos esse statuerũt. Minimè verò. Animi namq; motus (ut à sapientissimis existimatũ est) utiliter nobis sunt insiti, ut videlicet cupiditasum stimulis incitati, salutaria appetereamus, & consecraremur: Iracundia verò ardore noxia & incommoda auerteremus ac propulsaremus. Deinde fieri n. quit, ut affectiones ex hominum animis extirpentur. Nam quod à naturã nobis insitum, atq; ingeneratum est, id corrigi quidem, & emendari potest; ac radicitus e-  
 uelli non potest. Vt enim nulla ratione cavere possum, quo minus avicula, supra caput meum volitent; sed ne in capillis nidulentur, id cavere possum & debeo: Ita natura nostra non fert, ut plare non irascamur, nullaq; cupiditate tangamur; Sed ne per iram, aut cupiditatem in aliquam turpitudinem prolabamur, id providere, atq; praeavere & possumus, & debemus. Ad hæc ne optabile quidem fuerit velexpetendum, nullas in nobis inesse cupiditates. Omnis namq; virtus frigida nimis & languida est, nisi affectuum stimulis excitesur. Quia enim omne officiorũ genus, ab animo cõformatur, nihil poterit fieri acriter, & animosè ab eo, cuius animus non aliquo ardore fuerit incensus & inflammatus. Ex his igitur omnibus perspicuum est, clarissimeq; constat, affectus seu cupiditates non quidem funditus è natura hominum tollendas, ut Stoici senserunt, sed recta ratione atq; consilio frenandas & moderandas esse.

D I X I.

ORA-

ORATIO QUARTAE  
CLASSIS, RECITATA

;

IOHANNE CHRISTOPHORO  
Busenreuth Aldorphiano.



**I**N congiario nostro Auditores humanissimi,  
Efficta impressaq; accipitris recta linea sursum evolutis ima-  
go cernitur. Estq; ei adjunctum hoc Emblemata: Tramite re-  
cto. Quod ut planè pleneq; intelligatur, sciendum est, eos qui  
animantium naturas per vestigarunt, in accipitre acerrimum o-  
culorum sensum, & summam alarum pernicitatem, & rectum  
minimeq; flexuosum volatum notasse. Quas ob causas Aegy-  
ptii cum multas res alias, sum in primis hominem religiosum, &  
sapientia studiis deditum, illius imagine pingendum existi-  
maverunt. Et rectè quidem ac perquam ingeniosè. Quemadmo-  
dum enim accipiter rectis pennis, & contento celeriq; vo-  
lato



Datu tam sublimè fertur, ut etiam nubes superet, ac splendidissi-  
 mum Solis jubar fixis oculis intueatur: Sic animus humanus  
 religionis, & sapientia studio inflammatus, sese à corporis con-  
 tagione quoad licet sejungere & interitum cupiditatibus affer-  
 re debet, ut verum divinarum, atq; eternarum contemplationi  
 vacare, omniq; perturbatione solutus cœlestem in his terris vi-  
 sari imitari possit. Quò & divinus Philosophus Plato respe-  
 xisse videsur, qui hominis animo geminas alas affinxit, hoc est  
 vim duplicem: unam ad verum inquirendum & cognoscend-  
 dum: alteram ad bonum appetendum, & adipiscendum attri-  
 buit. Et in Phadone omnem sapientia paranda vim, & rati-  
 onem in assidua mortis meditatione ponit: docetq; fieri non pos-  
 se, ut quisquam sapientiam consequatur, nisi prius mentem à  
 corpore segregarit, & quasi necem corporis sensibus intulerit, ut  
 nihil obstat, quo minus animus è corpore tanquam vinculis ex-  
 solutus, vera & sempiterna, sine ullo impedimento perspicere  
 & contemplari queat. Quapropter commiliones suavissimi,  
 pulcherrimum accipitris simulacrum assiduè ob oculos ponere,  
 atq; in id omni curâ & cogitatione incumbere debemus, ut à  
 pravis cupiditatibus, omniq; turpitudine abducti, in cœlum e-  
 volemus, hoc est, ad veram religionem & cœlestem sapientiam  
 contento cursu ardentiq; studio feramur. Atq; in primis DE-  
 VM eternum, infinitum, optimum, & quem ille mi sit CHRIS-  
 TVM IESVM cognoscamus ejusq; sanctissimum numen in-  
 te grâ purâq; mente veneremur: omniq; nostra studia, & labo-  
 res ad illius gloriam, & humana societatis salutem dirigamus:  
 donec tandem summi eterniq; Parentis beneficio in eum statum,  
 unde nostrâ culpâ excidimus, cum amplificata dignitate resti-  
 tuamur: atq; ÷s locupletemur opibus, quæ neq; insidiis eripi,  
 neq; externâ vi comminui, neq; senio & vetustate corrumpi, ne-  
 que ulla deniq; calamitate perverti possunt.

D I X I.

PAN-

XX.


PANEGYRIS ANNI

1596.

SVB RECTORATU

D. D. PHILIPPI SCHERBII  
*Medici.**Oratio prima clasſis, recitata*

à

MICHAELE SCHMID  
MORIBERG.

*Q*uam pramia obedientia, & quæ pœna  
contumacia sint constituta, Auditores humanissimi, do-  
Mm ces

set effigies nostri nomismatis; in qua duo equi, columnis alligati cernuntur, quorum alter ferax, & indomitus, abruptis vinculis, effrenatè fertur, & cæco impetu, ac furore præceps in foveam incidit, sibiq; ipse exitium, atq; interitum accersit. Alter tractabilis est, freniq; patiens, ideoq; salvus & incolumnis servatur. Estq; additum hocce Emblemata: Disciplina salubris. Illorum autem imagine, nobis ob oculos constituuntur duo adolescentes, quorum alter honestam disciplinam amat, & amplectitur: alter eam contumaciter respuit, & aversatur. Disciplina amantem appello eum, qui suam imperitiam & imbecillitatem agnoscens, sibiq; ipse diffidens, parentum ac præceptorum auctoritate, judicioq; nititur, eisq; totum sese instituendum, erudiendumq; tradit, eos colit & observat: salutaribus eorum monitis obtemperat, & necessarias objurgationes & castigationes a quo animo accipit: atq; ad eò omnem vitam studiorumq; suorum cursum, ad illorum consilium & arbitrium dirigit, & accommodat. Contumacem verò & disciplina inimicum nomino, qui ingenii sui confidentia, & arrogantia nixus, ducemq; libidinem, non rationem secutus, parentibus ac præceptoribus obedire recusat: immò verò eos deridet, contemnit, atq; etiam ob fortuitum aliquod verbum, aut acriorem aliquam admonitionem, summo odio prosequitur, & pro amore inimicitias, pro salutari doctrina, contumelias, & obtreccationes: pro fide perfidiam, & insidias, & deniq; pro beneficio maleficia, impiè, ac flagitiosè reponit. Atq; ita quidem utraq; adolescens domi est affectus, & constitutus. Attendite porrò Auditores, quemnam vitam actionumq; suarum cursum quisq; foris tenere, & qualis tandem eventus utrumq; excipere soleat. Ambo mittuntur in Academias: sed alter pietatem colit, & artibus atq; scientiis animum excolit, atq; exornat; sumtus ac tempus bene collocat; castè, continenter, sobrièq; vivit; cum bonis & eruditis viris amicitias jungit, eorumq; consuetudine & colloquiis ingenium suum

acuit

acuit, errores corrigit, mores conformat, & doctrinam mirum in modum auget: Tandem vero, omni difficultate, & labore levatus, omniq; liberali doctrina & morum elegantia perpolitus, domum revertitur; summa cum civium gratulatione, & singulari parentum ac propinquorum laticia excipitur; ab omnibus gratus charusq; habetur, tempestivo, & honesto matrimonio locupletatur; ad publica civitatis munera obeunda expetitur; prudentia & aequitatis laude celebratur: atq; adeo firmo bonae conscientiae & praeclarae famae praesidio munitus, vitam degit felicissimam; & deniq; posteris perennem nominis sui memoriam: patria verò exemplum virtutis colenda & exercenda laudatissimum relinquit. Alter autem, impietatis scelere adstrictus, omnem religionem, omniaq; sacra negligit: virtutis & doctrinarum studia spernit, & pro nihilo putat; honestos viros hominesq; literatos odit, & fugit: sui similes impuros heluones, lusores, amatores, grassatores quarit, hisq; omnes, vita sua rationes committit, cum his florentem suam aetatem nequiter consumit, patrimonium turpiter profundit: & ocio, nugis, luxui ac libidini deditus, in diem ita vivit, ut penè se hominem esse obliviscatur: nec deniq; tam miserum, turpitudinis jugum excutere potest, usq; dum in summas difficultates & miseras coniectus, ut Phœdria Terentianus, prudens sciens, vivus vidensq; pereat. Ad extremum verò, pecuniâ dissipatâ, occasione discendi amisâ, animo vitiiis & erroribus depravato, corporis valetudine afflictâ, pudoris omniq; honestatis jacturâ factâ, perditus iste nepos ad suos redit, estq; parentibus dolori, familiae dedecori, alienis ludibrio, atq; despectui. Nullus patet ei ad praestantiū virorū amicitias aditus, nullus ad honores accessus, nulla deniq; ad optatas, ac fortunatas nuptias via, & opportunitas. Ex quo cōsequitur, ut vitâ miserrimâ & cū perpetuo dedecore & angore animi cōjunctâ agere cogatur. O fortunatos igitur atq; felici-

ees vos adolescentes, qui parentum ac praeceptorum monitis, atq;  
 praeceptis, tanquam vinculis, vos alligandos, & salutaris disci-  
 plinae freno tam diu regendos & instituendos praebetis, dum ali-  
 quando mores & vitam vestram ipsi prudenter & laudabiliter  
 regere atq; moderari possitis? O perditos verò & miseros, qui  
 convulsis disciplinae omnis officii repagulis, solute & effrenate  
 vivitis, omnemq; institutionem & imperium contumaciter &  
 superbe contemnitis ac repudiatis.

D I X I.

ORATIO SECUNDAE  
 CLASSIS, RECITATA

À

NICOLAO VOGT  
 Vratislaviensi Sillesio,



**P**udet me Rector Magnifice, in tot prastan-  
 tissimorum virorum conspectu, confessuq; verba facere. ta-



men à me ipso impetrare possum, ut onus, quod mihi imposui-  
 sti, à me deprecer atq; recusem. Etsi enim & loci hujus amplitu-  
 do, & ætatis mea ingeniq; imbecillitas, & rei proposita diffi-  
 cultas, magnum mihi reprehensionis metum incutiant: majo-  
 rem tamen autoritatis tuæ, quàm existimationis meæ rationem  
 habere dam esse existimo. Interim igitur, dum munere susce-  
 pto fungor, à vobis, Auditores, peto, contendoq; ut, quæ vestra  
 est humanitas, benevolè attentèq; me audiat. Mihi vicis-  
 sin erit cura, ne plus molestia quàm jucunditatis oratiuncula  
 mea vobis attulisse videatur. Atq; hinc exordiar: In no-  
 mismate nostro effictæ, atq; expressæ sunt Sirenes, inter cada-  
 vera & ossa humana confidentes: itemq; adolescens, qui è lon-  
 ginq; eas conspiciat, pedetètim accedit: sed ostium conspectu  
 metuq; perterritus, subito in fugam se conjicit, relicto hoc Em-  
 blemate: At me vestigia tectent. Sirenes autem (ut quidam  
 scriptores literis prodiderunt) Regina fuerunt insularum Ita-  
 lia, quæ in sinu Cumano sita, & autoribus Ptolemæo & Strabo-  
 ne, Sirenusæ: itemq; ab aliis Sirenum saxa & scopuli nominan-  
 tur. In his fuit promontorium Minerva, celebratum in pri-  
 mis ob literarum studia, quæ ibi primùm excitari, atq; coli cape-  
 runt. Nam in eo extructum fuit Athenæum, sive Gymnasium,  
 Minerva, sapientia artiumq; præsidi consecratum, in quo elo-  
 quentia, ceteraq; disciplina tanta fama celebritate floruerunt,  
 ut inde fabula illa de Sirenum cantu extiterit. Atq; hujus  
 quidam rei testis est Homerus, qui quæ Musis aliòquin tribui so-  
 lent, Sirenibus adscribere videtur. Nam libro Odysseæ XII.  
 eas ad hunc ferè modum de se ipsis gloriosè loquentes, atq; Vlyf-  
 sem ad sese invitantes introducit: Huc huc contende, Vlyffes  
 laudatissime, tuamq; navem siste, ut nostram vocem audias.  
 Nemo enim unquam prætervectus est, qui non prius cantus no-  
 stri, hoc est, eloquentia ac multiplicis doctrina suavitatem au-

di verit: quique non voluptate plenior, & eruditior à nobis dis-  
cesserit. Nihil enim in orbe terrarum geritur aut gestum est,  
nihil à doctis tam est reconditum, aut à natura abditum, aut a-  
licubi tam abstrusum & neglectum jacet, quod nobis non sit co-  
gnitum, & exploratum, quodq; tecum non liberaliter commu-  
nicare velimus. Atq; hoc primum fuit Athenæi illius institu-  
tum, hac cantilena Sirenium suavitas, hoc est, liberalis ad opti-  
mas quasq; disciplinas & scientias perdiscendas invitatio. Ve-  
rùm posteaquàm posteritas tanto bono (ut fit) ad iners & igne-  
vum otium, ad luxum & libidines abuticæpit, & adolescen-  
tes neglectis Musis, commestationes, & scorta consecrati sunt,  
& deniq; turpissimum valetudinis & patrimonii naufragium  
fecerunt: Gymnasium illud ab exteris male audire cepit: in-  
deq; fabella divulgata est de Sirenibus in monstra, supernè vir-  
ginis, infernè volucris seu (ut alii volunt) piscis formam haben-  
tia commutatis: que prætereuntes vocum dulcedine ad se alli-  
cere, somnoq; consopitos dilaniare, ac devorare soleant. Quo  
figmento antiquitas nil aliud, quàm turpium voluptatum, in  
primis venerarum illecebras, ac pestes significare, & cum om-  
nem utatam, tum maximè adolescentiam de iis cavendis, fugi-  
endisq; admonere voluit. Quid enim tetra fœdaq; libidine no-  
centius ac perniciosus cogitari potest? Hac, hac enim, corpori la-  
beris, atq; perniciem infert: hac si quid virium & roboris homini  
inest, (quod certè maximum adolescentibus in primis inesse so-  
let (si quid igitur inest, id omne conficit atq; consumit. Hac  
namq; & vires enervat, & sensus debilitat, & cerebrum labe-  
factat, & fœdos morbos, acerbos dolores, multiplices molestias  
parit. Et tamè hanc multi cupidè quarunt, & affectantur. asse-  
ctantur verò imò in eâ sese penitus immergunt: cū non modo cor-  
pori, sed etiam animo; nec animo tantum, sed etiam fama & ex-  
istimationi noceat. Quid enim mentem, quæ in homine princi-  
patum tenet, oppugnat & opprimit? Libido. Quid virtutis &  
Sapi-


*sapientiae studiū extinguit? Libido. Quid pudorem exterminat? Libido. Quid dedecus, & infamiam affert? Libido. Multū est turpitudinis in libidine; calamitatis quoq; in libidine multum, adeo, ut qui libidinem expetit, exitium & pestem expetere: vel potius qui exitium & pestē expetit, is libidine ne expetere videatur. Nam haec ambo tam arctē inter se nexa coherent, ut nunquam divelli atq; distrahi possint, id quod perelegans Platonis in Phaedone apologus de mutua doloris, ac voluptatis connexionē testatur. Socrates, n. cum aliquando è compedibus, crura sua exemisset, eaq; ex re incredibile voluptatem caperet, dixisse fertur: Quod si Aesopo aliquando in mentē venisset, quā propē, molestiā atq; dolorem comicaretur voluptas, huiuscemodi fabulam comminisci potuisset: Deos aliquando multū elaborasse, ut dolorē, ac voluptatē, hostes acerrimos inter se cōciliarēt, atq; jungerēt: sed eā fuisse utriusq; perviciā, ut id nullo modo nullaq; industria cōsequi potuerint, ideoq; eos excogitasse, ac decrevisse, quoniam naturarum illos unā esse nō pateretur, ut mutuis saltē finibus & nexis quasi vestigiis ita cōvenirent, ut unius finis, alterius gradus efficeretur. Itaq; venihil mirū, si abeūte voluptate respēte subeat dolor: & vicissim labore abscedēte, è vestigio succedat voluptas. An nō igitur insanire merito dicuntur, q; blanda tantū voluptatū initia, nec asperos etiā earū exitus considerāt? & ob exiguū tēporis brevē delectatiunculā, tot tantaq; mala, quae evitare licebat, ultrò accersūt atq; attrahūt? Nā si furiosi rectē existimātur, qui corpora moribus suis lacerāt, aut ferro vulnerant; quomodo sanos cōsebumus eos, qui (q; multo gravius est) animis, incitate libidine, mortiferū vulnus infligūt? O demētes igitur ac miseros, qui gula & inguinis voluptatibus cōstricti tenentur? O sapiētes, atq; felices, qui cōpressa domitāq; corporis libidine omne suū studiū ad animū trāsferunt: & veras illas voluptates, quas virtus & doctrina percat, sequuntur? Quantū, n. animo ad similitudinē  

divi*

divinitatis effectus, præstat corpori: tantum voluptas quæ ex  
 virtute & scientia promanans, animo percipitur, vincit illam,  
 quæ corporis sensu & agitatione continetur. Illa enim pernicio-  
 soso opinionis errore appetitur: hæc sana mentis judicio exqui-  
 ritur. Ad illam turbulento motu ac quodammodo in viti ra-  
 pimur: ad hanc libera voluntate studioq; ducimur. Illa, cum  
 maximè blanditur, evanescit: hæc animum nunquam illudit  
 aut fallit. Illa semper fastidio adhærescit: Hæc satietate animū  
 nunquam explet. Illa deniq; sempiternas infamia notas, cum  
 acerrimo conscientia morsu conjunctas, relinquit: Hæc decus  
 & laudem perpetuò conservat, & perennem tranquillitatem,  
 ac jucunditatem animo conciliat. Illa igitur falsa, fluxa &  
 turpis atq; perniciosa est: hæc vera & constans, omniq; salutis  
 & dignitatis præsidio firmata & communita. Quapropter  
 Adolescentes jucundissimi, si honestum atq; jucundum vitæ  
 cursum tenere: si misérias & calamitates devitare; si bonam  
 conscientiam, bonamq; famam tueri ac retinere: si placidâ ali-  
 quando leniq; senectute frui: si deniq; hujus vitæ munere benè  
 beateq; perfungi cupitis: ( omnes autem cupere debetis ) atatis  
 vestræ florem non Bacho, & Veneri, sed Minerva & Musis con-  
 secrate: cupiditates vestras Rationis imperio coercete: gulam,  
 & ebrietatem, & inprimis Sirenes, hoc est, lascivas puellas, &  
 impudicas mulierculas refugite: obscena colloquia & congres-  
 sus declinate: atq; ut Vlysses navis malo sese alligasse, & ejus so-  
 cii aures suas obstruxisse dicuntur, ne blandis & insidiosis Sire-  
 num cantilenis in naufragium illicerentur: ita vos quoq; ani-  
 mos vestros sapientiæ & virtutis præceptis alligate: aures atq;  
 oculos vestros cohibete, eisq; omnes ad libidinem vias interclu-  
 dite: honestis occupationibus, & laboribus vos exercete: atque  
 inprimis ad pietatis & optimarum doctrinarum studia omni  
 cogitatione curaq; incumbite: & deniq; ita vivite, ut vitæ ra-  
 tionem Deo simul, & hominibus aliquando reddere possitis.

ORATIO TERTIAE  
CLASSIS, RECITATA

VITO HECTORE  
à Streitberg,



**I**N congiario nostro, Nobilissimi & humanis-  
simi Auditores, duo precipuè effecta cernimus, quorum alte-  
rum navigii est species, in alto mari inter medios undarum mo-  
tus, interq; immanium scopulorum infestis passim cacuminibus  
eminentium, pericula fluctuantis. Alterum verò Delphinus  
est, navem ipsam, ducis in modum praeans, & commiseratio-  
ne quasi imminentis hominibus periculi adductus, viam illis è  
scopulis evadendi, ductu suo demonstrans: hac inscriptione ad-  
dita: Tivus ad portum. Cujus Emblematis interpretatio, quam  
vis eam ingenii & doctrina requirat copiam, à qua me longissi-  
mè abesse vel primus aspectus mei cuilibet indicio esse possit: Ta-

Nn

men



men impostam mihi abste M. D. Reſtor explicationis hujus provinciam, timide quidem, sed libenti tamen animo suscipiã, & qualecunq; hoc meum parendi auctoritati tua studium, apud lectissimam hanc auditorum coronam me excusaturum esse, de humanitate & benevolentia illorum mihi pollicebor. Mare igitur hoc, ut ordine de singulis agam, ob terribilem fluctuum jactationem, metus & horroris plenum, Mundi hujus, & ejus in primis in quam nostra vita incidit, atatis similitudinem gerit, quam similitudinem facile deprehensus est is, qui ad presentem rerum humanarum statum oculos vel paululum reflexerit, quas non modo publicarum calamitatum ceu turbine quodam violento agitari, verum etiam impietatis & injustitia procellis adeo horrendum in modum exastuare, animadvertet: ut quamlibet vel savissimam concitati maris tempestatem, pra hac, de qua loquor, impietatis & injustitia tempestate merum ludum & jocum dicturus sit: maxime si illam quidem angustiis tantum unius alicujus loci contineri terminis: hujus vero fluctibus, omnes (proh dolor) totius orbis angulos inundari: Itemq; illam paucorum tantum bonis & facultatibus, aut ad summum corporibus, vitæq; huic terrena interitum minari: hac vero animas hominum in sempiterni exitii voraginem absorberi cogitaverit.

Navis verò ibidem expressa species, vita humana conditionem & statum nobis ob oculos ponit: qua vita non modo inter vastissimos fluctus, interq; horribilia omnis generis calamitatum fulmina, & tonitrua: sed etiam inter periculosissimos vitiorum scopulos, & in extremâ, ac deploranda prorsus vitæ, & morum corruptione, ac depravatione cursum tenere cogitur. In quo cursu, heu, quam saepe optimum quemq; sublati ad sidera palmis, exclamare audias: O terq; quaterq; beati, quis ante hasce vices rerum, atq; hac tempora dura, contigit oppetere.

Isse verò cursus, atq; hac navigatio cum omni atati periculosis-

*lasiſſima eſt, tū in primis pueritia, atq; adoleſcentia tanto periculoſior eſſe ſolet, quanto minus illa ob atatis, & iudicii imbecillitate ſcopulos iſtos p̄videre, h. e. vitia, virtutis plerunq; ſpecie ſcū hominibus facientia agnoſcere, vel ſi agnoverit etiam, voluptatū tamē, quas illa pollicentur, illecebris inſcicata, reſiſtere illis non poteſt. Vnde ſimplicis & improvida atatis partē multo maximā, inſelicibus vitiorū laqueis, priusquā cavere eōs poſſit, irretitā, in certiffimū animi & corporis exitium precipitē ruere quotidie non ſine gemitu ac dolore aſpicias. Nā quanto expeditior ad omnē proſperitatē via in virtute cōtinetur: tātō certior etiā à vitio & improbitate in miſeriā & exitiū ruina eſt. Ac ut n̄avis alicujus, concitatiffimo fortē curſu in ſcopulū aliquem incurrentis, jam deſperata ſalvus eſt: ita certē adoleſcentis quocq; ſubus, ſi is, vel uni vitiorū illorū ſeſe mancipaverit, in qua hac poſiffimū propendere atas ſolet, vel omnino deſperata, vel certē tā precipiti in loco cōſtituta eſt, ut ſi ex illis expedire illū vinculis, & ad frugē revocare meliorem coneris, exitium illi ſæpenumero facilius acceleres, quā feliciter & ex voto cogitata perficias. Unus Dionis Syracuſani filius, miſerando interitu ſuo, hac q̄ a medicūtur veriſſima eſſe facilē cōprobaverit. Illam cū pater (ut Cornelius Nepos auctor eſt) ab avunculo Dionyſio Sicilia tyranno, per ſummā omnis generis intēperantie & libidinis indulgentiā educatum, turpiſſimūq; cupiditatibus imbutum priſtino victu deducere conaretur: eō uſq; commutatū priaris vita ſtatū ferre filius non potuit, ut è ſuperiore adium parte precipitem ſeſe dare, quā in virtutis & modestia viam redire maluerit. Maximus illorū numerus eſt, q; ad hoſce vitiorū ſcopulos illiſi, ſalutis ſue naufragiū faciunt: multo tamē major futurus, niſi p̄clarum & ſingulare cōtra peſtē illā remediū divina cōparaeſſet benignitas: Id q; in ſideli & diligenti preceptorū educatione & inſtitutione ſitum eſt. Qui quidem in obeundo munere & oſſio ſuo,*

aliud nihil, quàm Delphini hujus in numismate nostro expresso partes agunt. Nam quemadmodum Delphinus, si historico-  
rum monumentis credimus, pro celebratissimo suo in homines a-  
more, nautis in mari periclitantibus a; parere, viamq; per quam  
si navem deducant, scopulos sine noxa prater vchantur, demon-  
strare solet: Ita bonus & fidelis doct̃or, non tantum rectam vir-  
tutis & officii semitam gregi suo demonstrat, & Vlyssis exem-  
plo, salutarium doctrinarum quasi cetera, adversus Sirenium can-  
tus, aures illius obstruens, contra perniciosas voluptatum illece-  
bras animos eorum munit: sed hoc amplius etiam, admonendo,  
urgendo, excitando, nonnunquam etiam objurgando & incre-  
pando, viam illam capessere eos cogit: optimus quisq; etiam illo-  
rum doctrinae & praeceptorum suorum in seipso documenta dat:  
& veluti quendam Polycleti canonem seipsum proponens, vi-  
am, cujus ipse aliis ingrediendi auctor est, primus ingreditur.  
Hoc inquam praesentissimum illud est, adversus vitiorum pestem  
remedium: quo qui usus fuerit, is contra venenum illorum opti-  
mè se munitum intelliget. Nam quamvis apud plurimos, in  
media optimorum Magistrorum copia, vitam nihilominus cor-  
ruptissimam viventes, remedium hoc minus videatur efficax:  
non in ipso tamen, sed in perversa hominum voluntate hanc  
herere culpam, sciendum est, qui veluti eo recusant, vel saltem  
venis illud concipi non patiuntur. Quos è vitiorum morbis ex-  
plicare se non posse nihil mirum est, cum nec medicamentum  
quidem ullum quantumvis preciosum & salubre, nisi intra cor-  
pus assumptum, & in venas diffusum, vim suam in sanitate re-  
ducenda, ullo pacto exercere possit. Connitendam igitur etiam  
nobis est, & non solum cupida praeceptoribus aures accommo-  
danda, sed vitâ etiam & moribus, ea quae traduntur, effin-  
genda & exprimenda: Summa, nostro labore, conatu & dili-  
gentiâ, horum medicorum fidelium, adjuvandus labor. Ut n.  
naviculatores ita demum è scopulis navem educunt, eamq; unâ  
secum

secum incolumem conseruant : si monstratam ipsis à Delphino  
 viam persequantur : nõ verò se cum à longe tantum spectantes,  
 quò ipsorum eos impellit libido, vela faciant : Ita etiam non qui  
 otiosis tantum auribus saluberrima praeceptorum monita exci-  
 piunt : sed qui ex inanis speculationis umbra in actum ea educe-  
 re, inq; vita & moribus ex praescripto illorum instituendis ex-  
 periri annituntur, ij demum & à vitiorum contagio seruari, &  
 verò solidam atq; constantem virtutis acquirere possessionem  
 solent.

D I X I.



Nũ 3 ORA.

ORATIO QUARTAE  
CLASSIS, RECITATA

IOACHIMO STRASBURGERO  
Lipsenſi.



I: Schemacher sc:

**I**N numismate nostro ex amplissimi ordinis  
liberalitate & munificentia nobis tributo, Nobilissimi & p̄-  
stantissimi auditores, Vinitoris sive agricola imaginem expres-  
sam cernimus, vitis folia majuscula revellendo, superfluum illi-  
us luxuriam depascentis: non solum ut radiis solaribus, nimia  
pampinorum antea multitudine exclusis, ad viticulam ipsam  
fovendam, animandosq̄, teneros uvarum illius fœtus, conceda-  
tur aditus: sed etiam ut succulentus viticulae ipsius vigor, per  
folia & sarmenta inaniter dispersus, resectis iis contineatur, &  
in fructum ipsum sese penetrando, cum maturitatem illius adju-  
vet, tum etiam numerum atq̄ bonitatem reddat auctiorem:



Hac adjecta inscriptione: *Obstacula cedant, Quod Emblemata quamvis non unam recipere explicationem videatur, ego tamen aliis mea tūm atatis, tum ingenii vires haud parum superantibus pratermissis, unam duntaxat & instituto praesenti, & persona etiam mea magis convenientem asserre conabor.* Primum ergo vititoris nostri imago, fidelis & diligentis praeceptoris personam nobis repraesentat: vitis verò, juventutis praeceptorum informationi commissa picturam continet, cui & ipsi sua quadam haud sanè mediocri inest luxuries: quae ut in arbore aut vite, in stolonum & foliorum se effundit multitudinem: ita in juventute per varii generis ineptias, maxime verò turpium, aut saltem inanium voluptatum cupiditates erumpit: quae cupiditates non solum, quidquid melioris forte indolis ad producendos virtutum fructus aetati illi ingeneratum est, id totum in omnis generis vitiorum alimentum & pabulum convertunt: sed etiam doctrina & praeceptorum salutarium quasi radiis omnem ad animum penetrandi, illumq; ad edendos virtutis norma congruentes fructus facundandi aditum & facultatem, intercludunt. Ut enim vepres atq; artica, omnem agri, quem occuparunt, bonitatem atq; pinguedinem, utilioribus herbis, & gramine a sementi interceptam exsugunt ipsa, inq; sui augmentum & incrementum convertunt: unde purgamenta mera pro frugibus agrum illum producere necesse est. Ita profecto voluptatum illicitarum amor & studium, insita à natura teneris adolescentum animis virtutum atque indolis praeterea semina, veluti umbra sua premeret & suffocare solet, & in omne vitiorum & flagitiorum genus degenerare cogit. Quibus quidem, si in veros virtutum fructus adolescendi suppeditari facultas debet, manibus ac pedibus illud agendum erit, quod rusticus hic noster exemplo

plō nobis suo demonstrat. Amputanda inquam juveniliū  
ineptiarum & petulantiarum quisquilia : refrenandāq; admo-  
nitionum & preceptorum salutarium habenis immoderate  
voluptatum cupiditates, omnesq; ad earum illecebras obstruen-  
da via: pracidenda disturbandāq; occasiones: contemnenda  
existentes inde in puerorum animis offensiones & querela. Hec  
inquam, vera est hujus, ut ita dicam, agri purgandi, & letissi-  
ma virtutum messis obstacula removendi ratio: non solum com-  
munibus omnium sapientum vocibus, & suffragiis approbata:  
sed etiam recte rationis ipsius lumine demonstrata, utilitatem  
potius eorum, quos instituendos susceperis, quā voluntatem a-  
stimare jubentis. Nam ut agrotum nunquam sanaturus est me-  
dicus, si morositatis fortē aut offensionis illius metu, amariora  
illi aliquando miscere pharmaca noluerit: contra verō, quicquid  
flagrantis animi illius concupi verit ardor, illi indulserit: Ita  
certē stultitia morbum, qui secundū divina sapientia vocem,  
puerorum animos occupatos tenet, non modō nunquam curatu-  
rus: sed omnes etiam tam corporis quā animi illorum nervos  
fracturus est, qui potiore declinandi presentis discipulorum  
odii, quā solide & constantis eorundem olim comparanda be-  
nevolentia, rationem ducens, ad quamlibet illorum libidinem  
connixerit, tenerosq; illorum animos vitiorum atq; voluptatū  
veluti sentibus, adeo fadē occupari siverit, ut salutaribus do-  
ctrina atq; institutionis seminibus, nullus vel in iis agendi, ne-  
dum in molesta & liberalis eruditionis fructus excresecendi, lo-  
cus relictus sit. Quibus quidem jure & merito ea tandem con-  
tingere solet merces, ut ex levisima hac gratia puerilis aura,  
in gravissimas postea, cum ipsorum illorum, tum omnium bono-  
rum odii & indignationis tempestates incidant. Cū ē diverso  
puerilium animorū temere & in consulē suscepta odia, in fava-  
rem & benevolentiam summam commutatans experiantur illi,  
qui perniciosis illorum desideriis, sapienter obviam eundo, disci-  
pline

plina sua habenas plusculum aliquantò intenderint. Quapropter charissimi commilitones (ad vocem enim finem jam spectans se convertit oratio) cum charissimos praeceptores nostros in eamunicè curam incumbere, res ipsa fateri nos cogat, ut doctrina & morum honestorum lautissima quasi patrimonia nobis relinquat, divina pariter & humana vicissim à nobis exigis ratio, ut indefessum illorum, in nobis erudiendis & ad veram omnis generis virtutum frugem perducendis studium & curam non modo agnoscamus: sed nostro quoque illis parendi, doctrinaeque illorum lucem obviiis ulnis excipiendi studio subsequamur. Quo factò ut non ipsi tantum perpetuò gavisui, sed etiam gaudij huius socios Deum & homines habituri sumus: Ita etiam è contrario, qui hoc neglexerint, & infami olim & tristeruditatis & vitiorum squalore, infelicem aetatem acturi, & debitas contumaciae & perversitatis suae poenas daturi sunt.

## D I X I.



# GRATIARVM ACTIO.

## R E C I T A T A

NICOLAO HIERONYMO  
BAYMGARTNER NORIBERG.

**M**ENE jubes? ô Aoniæ clarissime pubis  
Rector, & infirmas premis alto pondere vires?  
Scilicet elinguem puerum tam clara corona  
Ferre potest, ludûmne facis, cui dona dedisti?  
Non ita de tanto liceat sperare parente.  
Ardua iussisti; nec cuiquam mollia; sed cùm  
Sit mandare tuum, parendi gloria nostra est.

**D E O.**

O qui lactentes solitus non spernere linguas,  
Spemq; bonis superas, præcurtis vota juvando,  
Magne pater rerum, ingenii sator unice nostri,  
Te veneror, quæsoq; ut nostris otia semper  
Talia suppeditent studiis: fera bella facessant,  
Barbariesq; procul, sobolesq; impura Getarum  
Caucasas repetat turpi formidine portas,  
Strataq; Danubium numerosa cæde coloret.  
Vincat id, vivatq; pius, regnetq; Rudolphus,  
Pristaq; ad Augusti revirescat limina quercus  
Servatam ob patriam, te te, **D E V S**, auxiliante.

**SENATVI**

**NORI.**

In terras cælo redeo, magnumq; Senatum  
Appello parvus, submisso poplite civis,  
Commendoq; suas (quando persolvere grates  
Non potis est animus, nostræq; infantia lingua)  
Has sedes, hæc Musarum celeberrima templa.  
O decus Imperii eximium, sapientia cujus  
Omnes per terras præclara est didita fama,  
Te colimus, te suspicimus, sequimurq; volentes,  
Proq; tua facimus solemnia vota salute.

**SCHOLAR-**  
**CHIS**

Nec vos communi patiar sub nomine abire  
Magnæ urbis proceres, curatoresq; Lycei,

**Cum**

Cum vestra exornet nostram præsentia pompam,  
 Si nostra est hæc pompa tamen, Vestri ista favoris  
 Munera sunt, vestri hi ludi, vestraq; coronæ.  
 At gratis servate animis hæc dona, diemq;  
 Laus ea nostra manet, cæptis si auferit æther,  
 Ingeriîq; aderit cum ver optabile nostri,  
 Nempe etiam vobis texemus lucida fertæ,  
 Qualia consuevère bonæ contexere Musæ  
 Ad juga Parnassi, vel doctæ flumina Cirrhes.

Nec minus ô quorum aspectu recreamur amico, **HOSPITIËVS**  
 Partibus è variis faustum quicumq; tulistis  
 Hæc in tecta pedem, multum salvete, mihiq;  
 Atq; meis optate pios æqualibus auctis  
 In rebus tam laudatis, morumq; decore.  
 Nunc ad te, tuaq; hæc, **RECTOR**, benefacta revertor, **RECTOR**  
 Te noster canet omnes amor te prospera fata  
 Florentem nobisq; diu, Phæboq; refer vent,  
 Sæpius ut teneas hæc sceptrâ virentia lauro  
 Auspiciis bis salva tuis animoq; sagaci.

Quò, me quò fessum rapitis, tot clara per orbem **PROFESSOR-**  
 Lumina doctrinæ? quo vos ego carmine dicam? **RIBVS.**  
 Tantarum nam me obnubit incognita rerum  
 Congeries, landumq; sequacibus obruor undis.  
 Præcipuè cum tot juvenes, lectissima corda  
 Hic adsint, curâ vestrâ, cultuq; polita,  
 A quibus & grates, & carmina digna Marone,  
 Aut Colophoneo vobis debentur Homero.

His ego & his mecum sociorum turba meorum **STVDIOSIS**  
 Officia & studia, & gratum sacramus amorem:  
 Quòd nos illustri vultu, facieq; benignâ  
 Tantopere cohonestarint: cursumq; secundos  
 Museo in stadio præscripta ad candida calcis  
 Exemplo præiêre suo, ne inscitia nostra  
 Hæreat ad metas, hoc flexu ætatis, iniquas.

τῷ θεῷ δόξα.

Oo 2

PAN,



XXI.


PANEGYRIS ANNI

1597.

RECTORE D. M.  
IOHANNÉ PRAETORIO.

*Oratio prima classis, recitata*

NICOLAO VOGT  
Silesio.



*Q*uod si par mea voluntati suppeteret facul-  
tas, Auditores humanissimi, alacri certè animo partes  
dicendi à Magnifico D. Rectore mihi attributas susciperem:  
neq.

neq; hujus loci auctoritatem, vestramq; presentiam, & gravissimum conspectum mihi magnoperè metuendum existimarem. At non est, planè non est ingenii mei, tantum tamq; difficile onus atq; munus sustinere. Itaq; ut vestra de me opinioni atque expectationi respondere, & dignum aliquid vestris polissimis auribus in medium asferre possim, id verò non mediocriter pertimesco. Verùm tamen haud leviter me reficit & recreat, tum eximia vestra, erga studiosos adolescentes humanitas, hoc in loco sapè cognita atq; perspecta; tum etiam obedientia ratio, cuius tanta vis est, ut neq; subterfugere laborem, aut recusare onus, nec quenquam in crimen & invidiam vocari patiatur. Quamobrem spero, atq; ut jubet me vester conspectus, etiam confido, me benignè attenteq; à vobis auditum iri.

Dicendum est autem de argenteo numo seu premio, quo ego meiq; ordinis adolescentes jam donati ac decorati sumus. Atq; ut hinc initium ducam: In numo nostro primum impressa cernitur effigies feri indomitiq; tauri ad caprificum alligati, cujus arboris vi omnem feritatem & immanitatem exuere, & planè mansuetus ac propè immobilis consistere cogatur. Qua imago ut planius ac plenius cognoscatur & intelligatur, opera pretium fuerit, Caprifici vim & effectum, quatenus ad rem pertinere videbitur, perquirere & investigare.

Ceteris in rebus in quibus Dei omnium rerum creatoris infinita vis & sapientia, & bonitas ac elucet, nosq; in sui admirationem allicis & invitat, rectè ut opinor, caprificum quoq; numerabimus. Quid enim admirabilius, quàm hujus arboris at-  
tactu feras atq; immanes bestias domari & mitigari posse?


Cujus rei causa etsi per obscura & explicatu per difficilis sit, & verò ejus investigatio instituto nostro aliena videatur: justa tamen, ut spero, reprehensione carebo, si quas ex aliis ejus rei causas cognoverim, breviter commemorem. Reperiuntur, qui

existiment caprifico vim quandam vaporatū inesse, quæ tauris torporem sive stuporem inferat, atq; adeò omnem ferocitatem cohibeat ac reprimat: similiter atq; torpedo limo submersa & occultata pisces suprà natantes efficit torpidos, & Echneis navem quantum vis magnam, & remis velisq; incitatam sistit & inhibet. Alii vero arboris illius odore perquam acri & adstringente tauros coerceri & mansuescieri putant. Magna enim & multiplex odorum vis est, quippè qui animantes partim mirificè oblectent & recreent: partim earum vires graviter ladās & labefactent. Vultures unguentorū, scarabeos rosarum odore exanimari ajunt. Lucretius amaracium suis acce venenum esse scribit. Quin etiam sanguinis fluxionem odore efficacior excitat, & sapè homines ad furorē & insaniam adigit. Itaq; absurdū fortasse non fuerit, si taurus quoq; caprifici odore mitescere existimeretur. Alii deniq; aliis rationibus latentē in obscuro veritatem quasi verunt, quam an invenerint, nec ne, id verò iis cogitandum ac statuendum relinquo, qui rerum in natura abditarū contemplationi & indagatiōi vacant. Quorsum autem ejusmodi tum beluæ tum arboris imago spectet, id ipsum docet lemma illud nostrum, Patiunt adversa salutem. Quemadmodum enim caprificus tauro indomito omnem ferocitatem & immanitatem detrahit: sic res adversa homines effrenatos sibiq; præsidentes comprimunt. Nam quos neq; ratio, neq; leges, nec disciplina, nec deniq; ullum remedium humana ratione excogitatum à flagitio avocare potest: eos calamitas avocat, atq; ad moderatorem modestiamq; traducit. Hac enim de fragili hominum uatura de fluxa & caduca vita hujus conditione, de rerum humanarum varietate & inconstantia nos admonet, nobisq; varios hominum casus, ancipites eventus, diros & miserabiles exitus, ob oculos ponit: atq; adeò in eam mentē nos impellit, ut nobis nostrisq; viribus planè diffidamus, ut ne quid temerè & inconsideratè aggrediamur: ne officio nostro neglecto, alienum appetamus: ne

cuiquam vim inferamus, aut fraudē machinemur: ne quenquam  
 insolēter spernamus, ac pro nihilo putemus: ne prosperis rebus atq;  
 ad nostrā voluntatē fluentibus efferamur: ne voluptatibus nos  
 constringēdos tradamus: ne falsę glorię umbras cōsectemur: ne  
 deniq; humi desixas cogitationes habeamus, & terrestria tātum  
 ac mortalia spectemus: Sed ut animos excelsos & invictos sursum  
 attollamus, omniq; studio enitamus, ut calamitoso hujus vitę  
 cursu toleranter & moderatē cōsecto locum in cęlesti domici-  
 lio, omniū calamitatū experte inveniamus. Quantū igitur ad  
 salutē cujuslibet valeāt, quāq; porro necessaria homini sint res  
 adverse, verbis exprimi comodē non potest. Videmus qui prosperis  
 rerum successibus utuntur, omnibus copiis circumfluunt & ab-  
 undant, quā difficulter mentis statū tenere queant, quā facile ab  
 officio desciscant, & aestu cupiditatum in perniciē & exitium  
 rapiantur nisi interdum rebus adversis tanquā freno quodā in-  
 jecto, contineātur. Quod mihi videtur Philippus Macedo p̄bē  
 intellexisse, q̄ cū tres optatissimos nuncios uno die accepisset,  
 sublatis in cęlū manibus, Deos precatus est, ut se aliquo itē malo  
 seu incōmodo afficerent. Significabat nimirum Rex sapientissi-  
 mus, nihil ad cōprimendā insolentiā, ad refrenādas cupiditates,  
 ad animi labes eluēdas, ad omnesq; deniq; vitiorū ac turpitudinis  
 fibras excindendas tam necessariū esse, quā rebus adversis ex-  
 erceri. Quēadmodū. n. in mari Persico arbores nasci dicuntur, q̄  
 ab undis in litore de relicta, sterilescant: fluctib; autē pulsata, atq;  
 etiā tota estib; marinis opteraveant fructusq; serant: Sic animus  
 humanus ab omnibus curis & molestiis vacuus, nullis incōmōdis  
 vexatus, nullis malorum fluctibus jactatus, hebescit & langue-  
 scit, & pravas plerumq; cupiditates & vitia concipit: rebus autē  
 adversis exercitatus, multiplices & uberes virtutum fructus ex  
 se fundit. Et ut vitis multiplici lapsu & erratico, serpens ferro am-  
 putatur, ne sylvescat sarmentis, atq; in omnes partes nimis ususa fru-  
 ctib; officiat: ita prava opinionēs & vitiosa cupiditates asperitate  
 fortuna

nae tanquam cultro circumciduntur & amputantur, ne profusa vitiorum luxurie mentem opprimant, omneq; pietatis & honestatis studium extinguant. Et quae so quid errores evellit, omnemq; levitatem & vanitatem tollit? nonne Calamitas? Quid libidines resecat, & insolentiam ac superbiam comprimit? Quid temeritatem & audaciam profligat? Calamitas. Quid nefarios conatus frangit? Quid impetus furentes revocat & reflectit? Calamitas. Quid ceteras animi affectiones, suis quasq; finibus coercet & continet? Calamitas. Quid deniq; animos nostros beata & immortalis vita cupiditate incendit? Calamitas. O morum & disciplina magistra Calamitas! o errorum emendatrix, cupiditatum moderatrix, vitiorum expultrix! Per te ad sapientiae omniq; virtutis disciplinam mirabiliter instituimur & erudimur: per te ab omni maleficio temperamus: per te placida & tranquilla mente consistimus: per te deniq; ad aeternitatem & immortalitatem aspiramus atq; contendimus. Prudentes igitur atque felices, qui rebus adversis ad salutem sempiternam se exerceri intelligunt, easq; iccirco placide & moderate ferunt: Dementes contra & miseros, qui vitam mollem, nullisq; molestiis aut miseriis implicatam, turpem verò & flagitiosam, acerbam, calamitosam, & moderatam, atq; honestam vitam anteponunt.

## D I X I.




ORA-



149

O R A T I O S E C U N D A E  
C L A S S I S, R E C I T A T A

G E O R G I O F V C H S  
Schweinhaupten.



**D**vo sunt, quae in nostro Brabeio potissimum  
consideranda videantur: Imago seu effigies, & Emblema:  
De quo utroq; dum verba facio, rogo vos, Auditores optimi, ut  
quam sodali meo tribuistis benevolentiam atq; attentionem,  
eam mihi ne denegetis. Imago autem est Apollinis, auream bul-  
lam ad pectus appensam digito commonstrantis. Bulla verò au-  
rea primum fuit ornamentum Regum Romanorum, ab Hetru-  
scis acceptum: quod postea ad pueros nobiles ceterosq; quorum  
patres equo meruissent, translatum est. Cujus rei autor pri-  
mus memoratur fuisse Tarquinius Priscus, qui aurea bulla, &  
purpurea praetexta, filium suum annos quatuordecim natum, qui  
in bello Sabino primus in hostes impetum fecerat, donavit, ut

ait Plinius lib 33, cap. 1. Cujus exemplum secuti principes Romani, prætexta, bullaq; liberos suos donaverunt, qua ad annū usq; decimum quartum uterentur. Erat hac bulla ferè rotunda, in cordis humani figuram formata. Sic dicta (ut ajunt) à nomine *Εχλιδ*. i. e. consilium, quod hac ætas propter inscitiam atq; temeritatē alieno consilio maximè indigeat. Caterū ex collo ad pectus ea dependebat, ut pueri ejus aspectu admonerentur & intelligerent, ita demum se homines fore, si (ut Macrobius inquit) corde præstarent. Cor enim non solum vita atq; affectuum fons, est: sed etiā anima, ratione, consilioq; prædita domicilium: id quod tum ex sacris literis, quibus traditur, homines habere legem in cordibus inscriptam: & de corde exire cogitationes: tum etiam à philosophorum quorundam scriptis cognoscere licet, qui primariam præcipuamq; animæ sedem cor statuunt, eidemq; sapientiam attribuunt. Unde homines vel cordati, id est, homines sapientes & prudentes: vel contra vacordes, & excordes, hoc est, insipientes ac dementes nominantur. Et P. Scipio Nafica, quod sapientissimus esset, Corculum fuit appellatus. Verū longior hac de re sermo, à me (ut spero) non expectatur. Ad Emblemata nostrum quod attinet, duobus hisce verbis id expressum est: Pectore consilium.

Quod præclare admonet, omnes actiones certo consilio moderandas, nec inconsulto ac temerè quidquam suscipiendum & agendum esse. Est namque cordati hominis, omnia quæ sibi suisq; accidere queant, accuratè præmeditari: cum præsertim vitam mortaliū, tot periculis & difficultatibus circumscripta, totq; fortuna & natura telis proposita sit, ut sæpè medio in cursu obruatur & opprimatur. Videmus quàm perversè ac præposterè omnia agant, quantam ignominiam subeant, quamq; nefariam pestem sibi & Reipublica machinentur, qui sine consilio iudicioq; præcipites feruntur. Cum enim rectus virtutum usus, prudentiæ, consiliiq; ratione contineatur, necesse est,

ut amoto prudentia lumine, nec justè ac liberaliter, nec fortiter, nec temperanter quicquam agere possit. Nam quomodo unicuique suum tribuet, aut injuriam à se depellet? quomodo pro honestate pugnabit, pericula propulsabit, fortunam adversam infractò animo, secundam moderatè feret? quomodo modestiam, modum & decus tuebitur, turpes voluptates contemnet, honestis modicè fructur is qui nec quid, neque, qua ratione & modo, neque, cur aliquid facturum, aucturusve sit, intelligit? Adde quod nihil omnino in vita boni esse queat, si prudentia, consiliiq; moderatio sublata fuerit. Etenim, neque vires, neque pulchritudo, neque opes, nec imperium, nec aliud quid ex iis, quae vulgo eximia bona habentur, salutem ac decus asferre possunt eis, qui illis temere & insipienter utuntur. Hinc Cicero, Nihil (inquit) sunt vires sine consilio. Et Salustius: Non viribus aut velocitate corporum res magna geruntur, sed consilio & auctoritate. In Scholiis certè & Academicis (ut de ceteris vitæ generibus nunc taceam) quantum consilii gubernatio valeat, quamque ea necessaria sit, neminem nisi rudem ac imperitum esse puto, quæ non animadvertat. Magna in plerisque est vitæ licentia, multiplices sodalitates, multa depravationis occasiones, pessima exempla, infinita insidia atque illecebra. Quotus quisque, adolescens in illis reperitur, qui inflammato studio ad eruditionem & virtutem incumbat, atque in his duabus reb. omne studium, maximamque temporis partem consumat? Nonne plerique ignavo otio, nugis, per potationibus & lusionibus magis, quam literarum studiis sunt dediti? & leves scurras, lascivas puellas, impudicas mulierculas, ceterosque id genus voluptatum ministras, potius, quam parentes ac preceptores sectantur? Sed non satis esse putat, si ipsi omni vitiorum labe foedati sint, nisi alios quoque turpitudinis suæ contagione contaminent. Itaque sit, ut qui domi modeste vixerunt, diligentèq; operâ literis navarunt, simul

ac in Academias ventum est, de priore virtutis & industria curriculo deflectant, atq; in omne vitiorum genus delabantur. Si unquam fuerunt, nunc profectò talia sunt tempora, quibus adolescentia in summo probitatis & salutis discrimine & periculo versatur.

Quapropter ò Adolescentes, auream bullam ab oculos cōstituite, nostrumq; Emblemata animis vestris infigite: atq; ad res quasq; agendas consilium & prudentiam adhibete. Inprimis verò circumspicite atq; cavete insidiosas improborum tendiculas, omnesq; voluptatum illecebras, ne eorum blanditiis illecti, in omne flagitiorum & calamitatum genus precipites ruatis.


D I X I.

ORATIO TERTIÆ  
CLASSIS, RECITATA

à

STEPHANO GEYGER

NORIBERG.



ETSI me quoq; R. M. tum pudor meus, tum  
Erennitatis meae conscientia, ad suscipiendā provinciam istā

simi-

timidiorem reddit : tamen cum multo gravius me crimen incursum videam, si ad declinandas hasce dicendi partes, plus timorem meum, quam ad easdem obedienter exsequendas, M. T. voluntatem apud me valere patiar : equidem eruditionem & facundiam, quam modestum magistratui meo obtemperandi studium, in me desiderari malo : & qua de Emblematis in congiario nostro expressi significatione assequi divinando potui, summa quam potero brevitate explicare conabor. In numismate igitur nostro, Orna. audi, triplex nobis animalium representatur genus, Leo, Asellus & Porus : ipso corporum positu & gestu, summam indolis ingeniiq, inter eos diversitatem indicantes. Primum enim asellus, unà cum perco, humi ambo jacentes, & ab omni opere & labore vacui, otii ignaviaq, turpi voluptate saginantur. Leo verò in pedes posteriores erectus, anterioribus verò lanceam, gladiatoris animosi ritu sublatam, vilibus atq, inertibus animalibus illis intentans, à turpi veterno isto excitare ea nititur, hoc temmate appposito. Pungit inertes.

Quorum omnium significationem si scrutati fuerimus diligentius, ignavo & ignobili illo animalium pari, degenerem & inutilem illam discentium turbam, qui honestissimorum discendi laborum pertasi, infami otii atq, ignavia veterno putrescunt, nobis depingi : Leonis verò pictura, preceptoris boni & fidelis imaginem nobis representari animadvertemus. Priorum illorū maximā ubiq, copiā, & proventū nimis uberē experimur. Ut enim segetem sine lolio & Zizaniis vix invenire licet, ita omnibus, ubiq, locorum, discentium cœtibus, suum quoq, lolium, & veluti fucos quosdam ignavos perpetuò admixtos esse videas : quos etsi ex reliquo discentium cœtu arcere aut ejicere in preceptoris manu non fit ; in eam tamen curam iucumbere illū decet, ut quo modo leonem hūc erga ignava ista pecora compara-




re se videmus, ipse quoque in suum illud ignavum pecus se com-  
pares, hoc est, omne remedium genus, ad depellendum perni-  
ciosum istum torporis & pigritia morbum adhibeat, nec proprie-  
tatum industria atque alacritatis exemplo discipulis praluce-  
at, sed etiam admonitionum, exhortationum, itemque increpa-  
tionum omnes machinas illis admoveat, omne organorum ad  
scholastica disciplina regimen pertinentium genus, in auxilium  
advocet. Id enim nisi fecerit, ut misera & improvida juven-  
tutis salutem & frugem contra officium & fidem proditurus,  
ita graves olim, Deo & hominibus, neglecti officii sui rationes  
redditurus est: Quamquam, si verum fatendum est, non tam in  
praeceptoribus, quam in discipulis culpa isthac saepenumero ha-  
rere deprehendatur, qui dulci quidem, at exitiali tamen, torpo-  
ris & desidia veneno deliniti, non modo remediis nullis quic-  
quam loci relinquunt, sed etiam pro maximo salutaris medela  
hujus beneficio, pessimam saepenumero gratiam illis relata[m] cu-  
piunt, & si alind nequeant, vel parentes suos, aliosque, quos sui ama-  
tiores norunt, indignissimo contra praecipuos optime meritos,  
aut mereri certe cupientes, odio inflammant; non intelligentes  
in serim, quam praecipuos machinantur fraudem, in propria  
ipsorum capita recidere. Dum enim indigna hac, quam prae-  
ceptoribus referre parant, gratia, in hac officii parte cunctatioris  
illos reddunt, ipsimet sibi omnem ad frugem bonam pervenien-  
di viam, malitia hac sua, praeccludunt, & in scitia, morumque pra-  
vorum caeno perpetuo immerse herent, dedecus & infamiam,  
& justissimum bonorum honestorumque hominum contemptum,  
ut meritissimam perverstitatis & improbitatis suae mercedem  
reportantes. Quod quidem, charissimi commilitones, ne nobis  
quoque usu veniat, duabus rebus, etiam atque etiam nobis provi-  
dendum est. Primum, ut ipsimet otium atque inertiam, quanta  
possimus contentione fugiamus, & propter atram illius caudam,  
que nihil est aliud quam certissimum omnium bonarum rerum exitium,

falla-

fallacissima faciei illius blandimenta, impuram & inanem voluptatem dico, execremur. Contra vero laborem & industriam, ut virtutis & honestatis omnis nutrículam, identidem amplectamur & exosculemur. Deinde, si nos inter illos forte non esse intelligamus, qui singulari quadam natura bonitate, ad laboris & industria amorem ipsi excitare sese norunt, in illorum saltem inveniamur numero, qui admonitionum, & castigationum stimulis, à magistris & praeceptoribus juventutia amoveri solitis, non recalcitrant, sed aequissimo animo perferunt, illum agrotantium morem imitantes, qui bona valetudinis recuperanda desiderio, non modo amarissima quaeque deglutire pharmaca non recusant, sed ustiones etiam, & sectiones, aliisque acerbissima medicantium tormenta, forti animo sustinent: hac interim spe certissima nos consolantes, amaritiam illam, qua laboris & disciplina radicibus inesse animadvertitur, incredibili olim dulcissimorum fructuum suavitate, longè supra spem & opinionem nostram compensatum iri.


D I X I.



ORA-

ORATIO QUARTA  
CLASSIS, RECITATA

à  
SIGISMUNDO KOZEL  
à Reifental.



**Q**uoniam in negotio hoc, M. D. R. ab auctoritate tua mihi nunc imposito, justissima imbecillitatis excusatione uti posse videar: tamen, cum me ad parendum in omnibus rebus Magn. Tuae quam devinctissimum agnoscam: non committendum mihi puto, ut demandatam mihi à Mag. tua provinciam refugiendo, plus pudori meo indulgisse, quam auctoritati tuae paruisse videar: cum praesertim ea me spes erigat, humanissimos Auditores balbutiem meam favore suo, erga quaecumq; hoc Magistratui meo obtemperandi studium, benigne subleventuros. Numisma igitur nostrum, Amplissimi Ordinis munificentia nobis tributum, Cedrum arborem nobis ob oculos ponit, duabus tantum oculis hisce circumscriptam: Serotina

rotina præstant, Breve negotium, & paucarum syllabarum sono confectum, sed profectio rerum ad felicem nostri institutionem maximi momenti significationem sub obscura brevitate ista occultans. Quamut brevissimè perstringamus potius quàm evolvamus, duo nobis ex rerum naturalium scriptoribus Cedri arboris observanda sunt genera. Vnum, quod floret quidem, fructum verò adfert nullum: alterum verò, quod flore caret, fructuum verò dulcissimi saporis ubertate et copia defectum illius abunde compensat. Quo duplici tamque diverso arboris istius genere, duplex quoque discipulorum seu adolescentum, non minori indolis atque ingenij diversitate inter se dissidentium genus designatur. Quorum priore illi continentur, qui simul ac doctrina & institutionis quasi auram perferunt, evestigio in florum & foliorum copiam longè maximam effunduntur, hoc est, inanissima ostentationis & jactantia quasi vento intumescunt, doctrinaque & eruditionis penè singularis opinione dementati, fallaci illius suco passim apud imperitos sese venditant: & præ se unis (ut veterum quidam loquitur) omnes divina & humana sapientia antistites, gentemque omnem togatam, totumque nomen latinum, rudes & agrestes esse, per summam stulticiam opinantur.

Verum enim vero ut cedrus illa, qua florum amaritate & fragrantia mirè initio superbiebat, hominū postea de fructibus suis spem turpiter destituit, ita istud discipulorum genus, postquam in spem maximorum fructuum, tam ad Ecclesiam, quàm ad Rempublicam ex ipsorum olim studiis perventurorum animos hominum arrexerunt, tandem pro amplissimis eruditionis doctrinaque thesauris, vilissimos opinionis & persuasionis inanis carbones proferunt. Alterum genus illorum est, qui dum in discendi versantur curriculo, diligentissimam modestia & pudoris rationem habent, ac ne vel minimam fastus aut insolentia

*lentia suspicienciam de se praebeant, omni ratione cavent, minimè  
 solliciti, quo pacto ingenij sui opes studij assiduitate partas, alijs  
 ostentent, sed potius quomodo vel citra hominum animadver-  
 sionem eas adaugeant: & quemadmodum plantas crescere qui-  
 dem non videmus, sed crevisse, ita isti quoq; unum illud operam  
 dare solent, quo eruditionis & doctrinae opes jam possidere, ma-  
 gis quam ad possessionem illarum sollicitè admodum aspirare  
 videantur. De hoc ergo, charissimi commilitones (vestri enim  
 compellatione finem orationi meae imponere placet) de hoc in-  
 quam, duplici adolescentum in studiorum liberalium palastra  
 versantium genere, congiarj nostri intuitu admoniti, in eam  
 curam nos excumbere decet, ut à priore illo genere quàm lon-  
 gissimè nos sejungentes, posteriorum istorum similes esse stude-  
 amus, hoc est, fastum omnem, & inanem de nobis ipsis persua-  
 sionem, omni contentione fugiamus, intra verecundia & mo-  
 destia fines, summa cura nos contineamus. Id enim si feceri-  
 mus, ut certissimam studiorum pestem, ejusq; individuum comi-  
 cem justissimum bonorum omnium odium, effugiemus: ita è di-  
 verso non modo felicium in studiis progressuum magnum adju-  
 vementum & praesidium, sed etiam veri amoris & benevo-  
 lentia hominum conciliatricem no-  
 bis comparabimus.*

DIXIT.



EMBLE.



# EMBLEMATVM IN HOC LIBRO EXPOSITVRVM

## CATALOGVS.

<b>A</b> Cuit ut penetret. 80. b.	Pax aurea secli 16. b.
Ad astra vel castra. 93.	Pectore consilium 149. b.
Adde parum parvo, 49	Perfer & obdura. 50. b.
Allicit ut perimat. 112. b.	Pietas tutiss. virtus. 46.
Amat victoria curam. 4. 40.	Procul hinc, latet anguis. 91.
Arrecta attentior aure. 103. b.	Pungit inertes. 511.
Art regula vitæ 34	Qua licet erumpit. 134.
Cælesti numine vincor. 26.	Stat gratia tacti. 119.
Conscientia. 95. b.	Saucius erro. 77. b.
Damnosa libertas 107.	Serotina præstant. 173.
Defectum industria supplet 122. b.	Sobrietas victrix veneris. 11.
Desuper auxilium 132. b.	Studio & perseverantia. 56.
Disciplina salubris. 137.	Stultus amor nostri. 30. b.
Et labor & virtus. 60.	Splendescit in usu. 83.
Fortior è latebris. 114.	Tolle moras. 32. b.
Gaudet certamine virtus. 101.	Tramite recto. 136.
Haud impune feret. 125.	Tutius ad postum. 141.
Improbitas pœna sui. 17.	Vanitas. 69.
In se contexta recurrit. 44.	Veritas premitur nõ opprimit.
Ingenium superat vires. 13.	Vestigia terrent. 139.
Mentis Venus improba clades, 28.	Vigiliis ac moderatione. 35. b.
Nobilitatis virtus non stemma character. 6.	Vince animos. 98. b.
Nella salus bello 23.	Virtus post fata superstes. 10. b.
Nullis fraus tuta latebris. 42. b.	Virtutem doctrina parat. 1. 61. b.
Obstacula cedant. 144.	Virtutis merces sudore para- tur. 64. b.
Officium natura docet. 38.	Virtutis gloria merces. 66.
Pœna comes sceleris. 127.	Virus aurib. haurit. 115. b.
Pariant adversa salutem. 147. b.	Vivitur ingento. 9.
Paulatim 71. b. 91	Vt desint vires. 74. b.
	Vtroq; clarescere pulchru. 67

# INDEX ALPHABETICVS

## RERVM ET VERBORVM

memorabilium.


<b>A</b> Damas ab ignis flamma non leditur. 51.	Calumnias descriptio. 119. b.
Adolescens pulcher, nobilis sed rudis, à Carolo. V. vocatur pulchra statua: 7.	Eius magna res. ib.
AEmulationis honesta utilitates. 92.	Contra illam remedia. ib.
Alexander Magnus multum delecta- tas lectione Homeri. 1. b.	Cervi proprietates aliquot. 43.
Alexander Magnus noctes ad officia tripartita dividebat. 40.	Cervi simplicis & serpentis calidi naturalis odium. ib.
Androdius servus à leone quodam de- fenditur. 78.	Cervi arrectis auribus acrius audiunt. 105.
Animalium quorundam mira inter se inimicitia. 75. b.	Ciconia multarum virtutum simu- lachrum: 47.
Apellis de calumnia pictura explica- tur. 116.	In primis veropietatis. ib.
Aquila pullos qui radios solis perse- runt, pro legitimis agnoscit. 7.	Chinenses populi doctissimi viros aliis omnibus in gubernationibus praesferunt. 95.
Ardea cum falcone pugna. 23.	Civitas sine consilio, est corpus sine anima. 13. b.
Cadmea illarum victoria. ib.	Cleanthus lucerna proverbium. 39. b.
Aristophanis lucerna proverbium. 39. b.	Columba in Arca Noë typus Ecclesie. 16.
Armis & consiliis orbis terrarum de- fenditur. 61. b.	Concupiscentia laxis habenis auri- gatur.
Arrogantia nihil turpius. 114. b.	Corporum nostrorum figura nos ad pacem non bellum factos in- dicat. 23. b.
Athenienses quare Gratiis fanum media urbe consecrarint. 121. b.	Conscientia vis. 97.
Autores enumerantur qui de reb ge- stu Hercules scripserunt. 101. b.	Critici unde dicti. 81.
Basilisci historia adhuc incerta. 17. b.	Demosthenes abstemius & vigilans. 39. b.
Eius acerrimum venenum. ib.	Demosthenis ad mirabilis & ferme incredibilis exercitatio. 84.
Belli calamitates. 23. b.	Disciplina in omni genere vita ma- xima utilitas. 103.
	Est quasi

Est quasi quoddam septum in veritatis	107. b.	Imperatorum erga preceptores gra- tutudo & veneratio.	121
Disciplina privata qua?	108.	Improbitas nocentiss. ferro ac igne violentior.	119. b.
Doctus ab indocto differt quantum dies à nocte.	1. b.	Ingenium parit doctrinam, hæc vir- tutem, virtus gloriam, inde im- mortalitas.	10.
Doctrina & studia in utraq; fortuna instar fortiss. clypeis.	34. b.	Ingratus ut vipera detestandus.	126. b.
Draco puerum servavit.	79. b.	Ira impotentis exempla memora- lia.	99.
Eloquentia præcipuum ingenii de- cus.	81.	Ira remedium potiss, mora & dilatio.	100 b.
Epicteti lucernula post mortem ma- gno precio divendita.	39. b.	Labore omnia bona vincunt.	66.
Fabula de certamine Aquilæ & ro- studinis expositio.	91. b.	Libertatis damnosa præmia.	109. b.
Friderici Oenobarbi vigilantia ad divinas laudes celebrandas.	40.	Lingua latina & græca fores omnis eruditionis.	59.
Fridericus II. scripsit de Aucupio: qui liber nuper impressus est.		Litteris & eruditione nihil præstan- tius.	94.
Galenus se Basiliensem nunquam vi- disse fatetur.	18.	Lusciniæ luculenta descriptio.	73.
Gratitudinis commendatio.	120.	Maximilianus. I. scripsit Sylvam ex- perientiarum, teste Jacobo Spie- gelo.	3.
Gratia & remuneratio vinculum Concordiæ.	79 b.	Maximilianus. II. dicitur in suis the- sauris habuisse exsiccatum Basili- ensem.	18.
Gratiæ à brutis quoq; reddita.	ib.	Mendacium nullum senescit.	14. b.
Grues observans excubias noctur- nas.	38.	Moderationis fama iuvenib. inpr- mis observanda.	37.
Proprietates & ordo in volando.	39.	Musarum sectatores tres hostes ha- bent, ventrem somnum & venerem.	
Hercules quos representes.	65.	Mustella naturalis hostis serpentis.	41.
Herculis varia nomina.	102.	Ruta se manit contra eum ante pugnâ.	ib.
Herculis colloquium cum virtute & voluptate: et illius allegoria.	ib.		
Hesperidum horti quales fuerint.	65.		
Homines universi laudis cupidi.	87. b.		
Ignavia comites egestas & contem- tus.	93. b.		

Narcissus ex nimio amore in florem mut. suu.	31	Factorum institutio quam sit labo- riosa.	51.
Naturalium rerum omnium mira vicissitudo.	45. b.	Pueri duo maxime necessaria, laudis studium, & modestia.	70. b.
Natura humana duplex vis.	98. b.	Pueri ingenium quale laudet Quin- tilianus.	86. b.
Neglectio etiam optima corrumpit, exercitatio confirmat.	83.	Quatuor impediunt homines ne ma- gnas ac praeclares res consequan- tur.	57.
Nihil flagitiosius aut nocentius im- puris libidinibus	19.	Res magna ut plurimum non tam viribus quam consilio geruntur.	13.
Nobilitas generis & pulchritudo corporis sine virtute ac doctrina nihil sunt.	7.	Rhinocerotis cū Elephanto pugna.	4.
Nobilitas malis & improbis plane inutilis.	7. b.	Rosa elegans descriptio.	26.
Obediencia singulare bonum.		Rosa centifolia Theoph.	22.
Occasio diligenter observanda.	33.	Rosa in siccis locis odoratior quam humidis.	21. b.
Apud veteres quomodo pingatur.	16.	Sapientes septem in civitatib. suis gubernationem obtinuerunt.	94.
Olea pacis signum.	16.	Scientia trib. completur. Natura Doctrina & exercitatione.	122. b.
Panthera descriptio.	182. b.	Scribendi Cacoëthes nostro tempore nocentiss. ac frequentiss.	32.
Peregrinationes unde tam grata sint hominib.	59.	Semper fieri est nunquam secundum Platonem.	45.
Philautia ingens malum Ecclesia & Reipz.	31.	Serpens hieroglyphicum signum an- ni.	44. b.
Philautia omnium malorum fons secundum Platonem.	32.	Serpens salivam hominis ieiuni fugit & illi in os immissa moritur.	11.
Philosophia laus.	26.	Socrates natura Stupidus labore & assiduitate plurimum profecit.	52.
Qualis illius summa perfectio in hac vita.	27	Stephanus Rex Polonorum sapientiss. ac fortissimus Mosi hos devicit.	4. b.
Plato vult potentiam cum sapientia coniungi.	2.	Suillum genus in Arabia ob odores non vivit.	127. b.
Platonis specus plenum opinionum spectris.	7.	Sus equaracum non fert.	16.
Principes docti alii preferendi.	2.	Sycomorū descriptio.	125.
Plures eorum nominatim recensentur.	bi.		
Promethei fabula ethico explicatur.	96. b.		
			Tardior

<i>Tardior sepe celeriore[m] vincit.</i>	93.	<i>Virtus &amp; ars circa difficilia versantur.</i>	61.
<i>Theologia omnium scientiarum regina.</i>	27.	<i>Virtus duplex, moralis &amp; intellectiva.</i>	65.
<i>Tigris quantopere amet fœtum.</i>	93.	<i>Virtus affectuum stimulus excitatur.</i>	136. b.
<i>Venrem vincit sobrietas &amp; illius antidotus temperantia.</i>	11. b.	<i>Visus &amp; auditus inter sensus præcipui.</i>	103. b.
<i>Veritatu[m] &amp; vanitatis descriptio.</i>	79.	<i>Visus an auditus præstantior.</i>	ib.
<i>Veritatis radius contra mendacia in victus.</i>	14. b.	<i>Vita sine libris obscura &amp; imperfecta.</i>	60. b.
<i>Veteres sua scripta diu &amp; studiose emendarunt.</i>	35. b.	<i>Vita apud Gellium ferro confertur.</i>	66. b.
<i>Victoria nulla expers cura &amp; laboris.</i>	4. b.	<i>Vita vigilia secundum Plinium.</i>	5. b.
<i>Vigilia decent bonarum Artium studiosos.</i>	37.	<i>Vita voluptaria detrimenta plurima.</i>	11. b.
<i>Vipera acerrimus hostis lusciniæ.</i>	75.	<i>Voluptatum turpium descriptio.</i>	90.
<i>Virtus excellens sine litteris &amp; eruditione parari nequit.</i>	1. b.	<i>Voluptates ex gustu &amp; tactu importunissime.</i>	113.
<i>Virtus &amp; doctrina cum homine non intereunt.</i>	9. b.	<i>Voluptas vipera confertur.</i>	76. b.

F I N I S.



N O R I B E R G Æ.

Excudebat Christophorus Lochnerus.

ANNO D<sup>O</sup> M<sup>O</sup> D<sup>O</sup> C<sup>O</sup> XCVII.



✓ 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32

Dapl

50  
v. 2.

